DE FORMIS SYNCOPATIS, QUÆ VOCANTUR, VERBI LATINI.

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
IN PUBLICO DEFENDET

VILHELM HEDQVIST
LIC. PHIL. NAT. NORRL.

IN AUDITORIO IV A. D. V NON. OCTOBR. MDCCCXCI

H. P. M. IV.



UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSIT EDV. BERLING
MDCCCXCI.

De formis syncopatis, quæ vocantur, verbi latini.

Eam grammaticæ latinæ partem, de qua hoc opusculo disserere institui, ut, qui in formis latinis explicandis versati sunt, sæpissime, quum alias grammaticæ latinæ partes tractarent, breviter ac quasi in transitu attigerunt, ita nemo adhuc, quod quidem sciam, scriptor separatim tractavit. Neque tamen laborem profusurus ac perditurus esse videtur, si quis, quomodo ortæ sint formæ syncopatæ, quæ vocantur, explicare susceperit. Nam quod vetustiores linguarum investigatores de his formis disputaverunt, quum eas per syncopam, quæ dicitur, ortas esse contenderent ob eamque rem syncopatas nominarent, id a legibus, quas docti viri ætatis novissimæ, subtiliore artis grammaticæ ratione usi, a lingua latina in sonis tractandis observatas esse docuerunt, prorsus abhorret. Iam vero quæ ab his de iisdem formis exposita sunt quum et in libris commentariisque dissipata difficillime perlustrentur et magna ex parte reprehendi ac refelli possint, supervacaneum mihi non est visum et quæ a viris doctissimis de formis syncopatis, quæ vocantur, commemorata sunt, in unum congerere et quæ, quomodo ortæ essent illæ formæ, quærendo eruisse mihi ipse videor, exponere.

In quibus formis tractandis primum de formis e stirpibus, quæ in consonantes exeunt, fictis, ut *dixti*, *iusti*, *traxtis*, *cestis* (perf. ind.), *duxim*, *axim* (perf. coni.), *faxo*,

ulso (fut. exact.), *dixe*, *misse* (perf. inf.), *dixem*, *faxem* (plusquamperf. coni.) agemus,

deinde de formis e stirpibus, quæ in vocales desinunt, figuratis disseremus, atque id quidem ita, ut hunc locum duas in partes tribuamus: unam formas futuri exacti, ut *amasso*, *averruncasso*, et perfecti coniunctivi, ut *negassim*, *habessit*, *ambissit*, continentem, quas per syncopam ortas non esse omnes nunc linguarum investigatores consentiunt, quamquam, quomodo fictæ sint, in controversia versatur; alteram, in qua complures alias formas, quas *-vi-* syllaba sublata ortas esse omnes adhuc contenderunt, ut *appellasti*, *amarunt*, *amasse*, *compleram*, *nosti*, *audieram*, per syncopam fictas non esse probare studebimus.

In libris auctorum laudandis iisdem scripturæ compendiis usus sum, quæ in »Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft herausgeg. von IWAN MÜLLER. Zweiter Band. Zweite Auflage» exscripta inveniuntur. Si quos præterea libros laudavi, tituli aut plene perscripti sunt aut perspicuo compendio signati facile agnoscentur.

I. Formæ syncopatæ, quæ vocantur, verborum, quorum stirpes in consonantes exeunt.

A. Secundæ perfecti indicativi personæ.

Has formas quia acuratissime collegerunt NEUE[1]), CORSSEN[2]), WESTFAL[3]), KÜHNER[4]), qui locos etiam, in quibus inveniuntur, adscripserunt, satis hic enumerasse solum habebo[5]):

IIæ num. sing. personæ: *dixti*, *duxti*, *spexti*, *vinxti*, *rexti*, *munxti*, *pinxti*, *stinxti*, *intellexti*, *struxti*, *vexti*, *luxti*, *tersti*, *mersti*, *scripsti*, *repsti*, *sumpsti*, *mansti*; *iusti*, *misti*, *custi*, *clusti*, *cesti*, *vasti*, *sensti*.

IIæ num plur. personæ: *traxtis*, *scripstis*; *cestis*.

Duæ diversissimæ de origine harum formarum sententiæ prolatæ sunt, quarum alteram defenderunt CURTIUS, CORSSEN, KÜHNER, alii, et nuperrime OSTHOFF, alteram BRUGMANN, STOLZ, alii. Illi censent has formas e formis vulgaribus in *-isti*, *-istis* desinentibus ita ortas esse, ut, quum antiquissimis linguæ latinæ temporibus primæ omnium verborum syllabæ acuerentur, vocalis, quæ in syllaba extremæ proxima esset, quum omnino non acueretur, excideret; hi vero formas illas breviores vetustiores esse, longiores postea ex iis novatas contendunt.

---

1) Formenlehre II². 536 sqq.

2) Aussprache II². 553 sqq.

3) Verbalflexion p. 266 sqq.

4) Ausf. Gramm. I. p. 508.

5) Earum complures nisi compositæ non inveniuntur; cfr. auctores supra laudatos.

Quarum sententiarum utra melioribus argumentis nitatur, quærentibus primo rationes, quibus OSTHOFF[1]) vetustam illam opinionem, *dixti*, *traxtis*, cet. e *dixisti*, *traxistis*, cet. orta esse, fulcire studuit, examinandæ nobis erunt. Qui ut multa, quæ CURTIUS[2]), CORSSEN[3]), KÜHNER[4]), alii, qui ante eum de hac re egerunt, cum subtiliore huius ætatis artis grammaticæ ratione parum convenientia disputaverunt, probare non potest, ita cum iis de re ipsa consentit, quum formas in *-sti*, *-stis* desinentes secundarias esse censeat.

Contendit enim ille formas in *-isti*, *-istis* exeuntes novatas esse ad similitudinem rationis, quæ inter *vidi* et *vidisti* (quod ipsum pro forma originaria **visti* novatum esse credit, quod hæc dissimilior ceteris perfecti personis esset) intercederet; fictas igitur esse ad *dixi*, *misi*, cet. formas *dixisti*, *misisti*, cet., quarum pro verborum constructione aut *díxistì*, *mísistì*, aut *dîxìsti*, *mîsìsti* acutarum has *dixisti*, *misisti*, illas *ĭ* abiecto *dixti*, *misti* evasisse dicit. Cuius rei illud quoque argumentum affert, quod *dixti* aliæque eiusdem generis formæ in **dicti*, cet. mutari debuerint, quia *-s-* inter consonantes positum tolleretur.

In hanc OSTHOFFII sententiam illud ego animadversum primum velim, quod formæ illæ *dixisti*, *misisti*, cet. ut et integræ manerent et in *dixti*, *misti*, cet. mutarentur, factum iisdem temporibus esse non potest. Nam antiquissimis linguæ latinæ temporibus, quum prima syllaba acuebatur[5]), aut nulla syllaba aut ultima[6]), numquam syl-

1) Perfektum 217 sqq.
2) Temp. und Modi 303.
3) Aussprache II² 533 sqq.
4) Ausf. Gramm. I. p. 486 sqq. 507 sqq.
5) Cfr. SEELMANN: Die Ausspr. des Latein p. 30 sqq. STOLZ: Wiener Studien VIII. 149 sqq. Lat. Gramm.² p. 319—322. BRUGMANN: Grundriss I. p. 549 sqq. THURNEYSEN: Der Saturnier p. 31. OSTHOFF: Arch. f. lat. Lex. IV. 464. HENRY: Precis p. 100.
6) BRUGMANN: Grundriss I. p. 551.

laba extremæ proxima accentu quodam leviore pronuntiabatur; ea igitur ætate e *díxistì*, *mísistì*, cet. ita acutis nihil aliud nisi *dixti*, *misti*, cet. fieri debuit[1]); posteriore autem ætate, quum accentus ille levior syllabam pænultimam, si longa erat, feriebat, formæ *dixisti*, *misisti*, cet. incolumes servarentur necesse erat.

Iam vero OSTHOFF rationem afferre non potest, cur formæ syncopatæ e perfectis, quæ in *-si* non exeunt, nullæ fingantur, i. e. cur formæ *legisti*, *scabisti*, al. in **lexti*, **scapsti*, al. mutatæ non sint; nam quod dicit, has formas, quod primis perfecti personis parum similes essent, obsolevisse, nobis quidem verum esse persuadere non potuit.

Quod præterea contendit, formas illas *dixti*, cet. in **dicti*, cet. mutari debuisse, num verum sit dubitari potest[2]); quæ lex ne si comprobata quidem esset, ad formas *dixti*, cet. antiquas esse refutandum valeret. Namque aut STOLZIUM[3]) secuti *-s-* litteram propter similitudinem stirpium, quæ in dentales vel *-s* exirent, servatam esse sumere possumus, aut, si explicatio nostra formarum *dixti*, cet. (vide infra) probari potest, hæ formæ tum demum ortæ esse videntur, quum lex illa OSTHOFFII valere iam desierat; quam quidem legem posteriore ætate obsolevisse constat[4]).

Contra universam illam explicationem has formas per syncopam ortas esse putantium animadvertere velim analogias, quibus debeantur formæ in *-isti*, *-istis* desinentes, tam multiplices esse, ut eas formas, quo tempore prima syllaba acueretur, nondum ortas esse veri sit simillimum; quo tempore si *dixisti*, *vidisti* orta essent, in

1) STOLZ: Lat. Gramm.² p. 321 sq.

2) BRUGMANN: Grundriss I. p. 448 not. 2.

3) Lat. Gramm.² p. 372 not. 3.

4) STOLZ: Lat. Gramm.² § 64, 2. Cur vero *dixti*, *duxti*, *traxtis*, cet. in **disti*, **dusti*, **trastis*, cet. mutata non sint, (cfr. *Sestius*: *Sextius*, *mistus* : *mixtus*, *illustris* < **illucstris*) facile est intellectu, quum ceteræ personæ fuerint *dixi*, *dixit*, *diximus*, *dixerunt*, cet.

dixti, **visti* mutata statim essent. Immo vero hæ formæ ea ipsa ætate ortæ esse nobis quidem videntur, quum, quod pænultima longa accentu illo leviore pronuntiari coepta erat, integræ servari potuerunt.

Restat, ut alteram, quam de de his formis proposuerunt sententiam BRUGMANN[1]), JOHANNES SCHMIDT[2]), STOLZ[3]), alii, inspiciamus, quorum ego explicationem hic paucis adumbrare conabor.

Erant in lingua indoeuropæa, quæ dicitur, et perfectum et aoristus, quorum temporum aliud aliam vim usurpabat. Sed in linguis sanscrita, germanica, celtica, latina perfectum eandem fere vim, atque habebat aoristus, postea accepit[4]). Itaque antiquissimis linguæ latinæ temporibus erant perfectum *vīdī* et aoristus **vīdesm̥* (cfr. *ᾔδεα* < **évei̯desm̥*), perf. **dīcī* et aor. **dīcsm̥*, cet., quæ quum idem significarent, in unum tempus confusa sunt. Cuius confusionis initium a prima numeri pluralis persona verbi *videndi* ductum est, quippe quæ et in perfecto et in aoristo *vīdimus* esset (perf. < **véi̯dm̥mos*, cfr. scrt. *sēdimá*, got. *sētum*, aor. < **vei̯desmos*[5]), cfr. scrt. *ávēdiṣma*); deinde quod et hæ personæ similes erant et utrumque tempus idem significabat, e duobis his temporibus unum factum est; tum vero propter similitudinem, quæ inter aoristos *vidimus* et *diximus* erat, aoristi quoque per *-s-* formati, velut *dīx-*, *dūx-*, cum suis perfectis confusi sunt. Ita ortæ sunt formæ *dixti*, *duxti*, *dixtis*, *duxtis*, cet., quæ,

---

1) Morph. Unters. III. 36 sqq. 53 sqq.

2) K.Z. XXVII. 327 sq.

3) Lat. Gramm.^{2} p. 370, 372 sq.

4) Vide DELBRÜCK: Synt. Forsch. II. 101 sqq. 131 sq., V. 296 sqq. WHITNEY: Ind. Gramm. § 821 sqq. GRIMM IV. 146 sqq. ZEUSS-EBEL: p. 447 sqq. WINDISCH: K. Z. XXIII. 219. BRUGMANN: Morph. Unters. III: 36 sqq. Griech. Gramm.^{2} p. 184, 186. STOLZ: Lat. Gramm.^{2} p. 357.

5) Cfr. *Cămēna* < *Căsmēna* FESTUS p. 67, 205. VARRO l. l. VII. 26, *corpŭlentus* < **corposlento-*, *satĭn*, *potĭn* < *satis-ne*, *potis-ne* (CORSSEN: Aussprache II^{2} 509), cet. JOH. SCHMIDT K. Z. XXVII. 328. STOLZ: Lat. Gramm.^{2} p. 281.

quum tempora in unum confunderentur, terminationibus secundarum perfecti personarum _-ti_, _-tis_[1]) aoristo adiectis, velut _dixti_ < _*dic-s-s+tī_, _dixtis_ < _*dic-s+tis_, sunt figuratæ.

Quæ sententia quamvis sit ingeniosa, num ab omni parte vera sit, dubitamus. Nam ut in verbo _videndi_ ceterisque, quæ aoristum per _-əs_ fortasse formaverunt, quin aoristus et perfectum illo modo confusa sint, dubitari non potest, ita haud scio an inter aoristum _vidimus_ et _diximus_ ceterosque eius modi aoristos tanta similitudo non fuerit, ut aoristi per _-s-_ formati, ut _dīx-_, _dūx-_, cum suis perfectis, velut _*dīc-_, _*dūc-_, confunderentur.

Equidem hanc confusionem paulo secus factam esse crediderim, ita fortasse, quemadmadum paucis hic describere studebo.

Constat primas et secundas perfecti singularis personas terminationem _-ī_, in quam exeunt, e medio accepisse[2]). Inde intelligi potest inter formas activas et medias neque vi neque usu quidquam interfuisse. Promiscue igitur adhibebantur:

	act. sing.	med. sing.
	I _*veida_[3])	I _*vidai̯_
	II _*veissa_[4]) < _*veid-tha_	II _*vissai̯_ < _*vid-sai̯_
et		
	I _*deica_	I _*dicai̯_
	II _*deicta_	II _*dicsai̯_

---

1) Cur STOLZ (Lat. Gramm.[2] p. 372) hanc terminationem ex aoristo manavisse contendat, non intelligo; quæ quum in ceteris omnibus temporibus linguæ latinæ novata est (cfr. BAUNACK: C. St. X. 62. SPEIJER: Mem. d. l. S. d. l. V. 189. STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 359. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] p. 130), quidni in perfecto quoque eam fuisse sumamus?

2) Cfr. FICK. G. G. A. 1883, p. 589. SPEIJER: Mem. d l. S. d. l. V. 3, p. 185—188. OSTHOFF: Perfektum 191 sq. 609. STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 372.

3) De vocali stirpis vide OSTHOFF: Morph. Unters. IV. 129 not. STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 369. BRUGMANN: Griech. Gramm.[2] p. 165.

4) BRUGMANN: Grundriss I. p. 347, 369.

Quæ formæ quum et idem significarent et inter se simillimæ essent, in unum confundebantur:

Sing. I _*vei̯dai̯_ > _vīdī_
II _*vei̯ssai̯_ > _*vīssī_
I _*dei̯cai̯_ > _*dīcī_
II ? (vide infra!)

Sed quum illa secundæ verborum dentalium personæ terminatio _-ssī_ terminationi _-ta_ verborum, quæ in dentales non desinebant, dissimilior esset, ex his _t_ restitutum est, itaque formæ _*visti_, _iusti_, _misti_[1]), cet. (vide supra pag. 3) ortæ sunt, quas genuinas perfecti formas esse censeo[2]).

Quod si omnia verba dentalia, quæ in lingua latina plurima sunt[3]), in _-sti_ exibant, cogitari facile potest illam terminationem in ceteras quoque stirpes irrepsisse, quod ea re sublevatum esse videtur, quod formæ activæ, ut _*dīcta_, _*dūcta_, et mediæ, ut _*dicsai̯_, _*ducsai̯_, iisdem vicibus fungentes facile in _*dīcstai̯_ > _dīxtī_, _*dūcstai̯_ > _dūxti_ contaminari poterant.

Tum _s_ littera in secundam numeri pluralis personam serpsisse videtur, quæ quidem in stirpibus, quæ in dentales vel _s_ exibant, in _-stis_ (_*vistis_ pro _*vissis_ < _*vid-thas_, ut _*vīstī_ pro _*vīssī_, _*gestis_ < _*ges-thas_) desineret; itaque _traxtis_, cet. orta sunt.

Quod si in perfecto erant _*dīcī_, _dīxtī_, _*dicimus_, _dixtis_, in aoristo _*dīxm̥_, _*dīx_, _diximus_, _dixtis_, tum mihi facile videtur intellectu, quomodo perfectum et aoristus talium verborum confusa sint.

1) Ad quam terminationem formandam etiam stirpes in _-s_ desinentes, ut _ges-_, _hæs-_, quarum secundæ perf. personæ a principio in _-sta_ exibant, plurimum nimirum valuerunt.

2) Itidem Stolz: Verbalflexion 52 sq. Lat. Gramm.² p. 373. Quod Osthoff hanc sententiam veram esse credere se non posse nullo argumento allato dicit (Perfektum 216 sq.), mihi ad eam refellendam nihil valere videtur.

3) Cfr. Osthoff: Perfektum 216.

Vulgares autem in *-isti*, *-istis* cadentes formas novatas esse constat, initio a stirpibus dentalibus ducto, quarum formæ genuinæ in *-stī* desinentes, ut **vīstī*, quum dissimiliores ceteris eiusdem temporis personis essent, aut syllaba ex his capta mutatæ sunt — tum *vidisti* pro **vīstī* ad similitudinem ceterarum personarum *vidi*, *vidit*, *vidimus*, fictum est — aut personis perfecti et aoristi confusis — tum *vidisti* ex aoristo **veidess* terminatione perfecti *-tī* adiecta formatum est —. Ad quarum similitudinem ceterarum stirpium formæ novatæ postea esse dicuntur [1]).

Quibus rebus expositis satis docuisse videor formas pag. 3 laudatas non per syncopam fictas, sed genuinas perfecti temporis formas esse, quæ in stirpibus in dentales vel *-s* exeuntibus ad normam fictæ, in ceteris stirpibus aut ad earum similitudinem novatæ sunt aut confusione formarum mediarum et activarum ortæ.

B. **Perfectum coniunctivi et futurum exactum indicativi.**

Hæc tempora, quia nisi in primis singularis numeri personis forma nusquam distingui possunt, una tractabo. In quibus temporibus formæ syncopatæ, quæ vocantur [2]), finguntur e verbis, quæ formant perfectum

I) in *-si*: *duxim*, *spexis*, *flixint*, *auxitis*, *stinxit*, *insexit*, *repsit*, *clepsit*, *serpsit*, *cessis*, *missis*, *lusim*, *iussim*, *excussit*, *ussit*, *parsis;*

II) in *-ui*: *rapsit*, *noxit;*

1) Eius modi formæ, quæ vi analogiæ ortæ esse vulgo creduntur, nescio an aliter explicandæ sint; vide infra!

2) Locis, in quibus sint, adscriptis collegerunt NEUE: Formenlehre II² p. 542 sqq. KÜHNER: Ausf. Gramm. I. p. 508—510, 512. CORSSEN: Aussprache II² p. 554 sqq. WESTFAL: Verbalflexion 290 sqq.

III) in *-i* a) vocali stirpis mutata : *axim* (: *egi*), *capsim*, (*accepso*, al.), *faxim*, *obiexim*:

b) reduplicatione adiecta : *taxis* (:*tetigi*), *sponsis*, *occisit*;

c) cetera : *comessis*, *empsim*, *incensit*, [*rupsit*[1])];

præterea duo verba, quæ deponentia esse solent:

IV) *ulso*, *ausim*.

Sunt passivæ quoque formæ : *faxitur*, *nanxitor*[2]), *iussitur*, quas ad similitudinem formarum activarum novatas esse apparet[3]).

Has quoque formas complures scriptores, ut CURTIUS[4]), SCHLEICHER[5]), CORSSEN[6]), per syncopam ortas esse contenderunt. Quod ut in verbis, quæ perfectum in *-si* formarent (vide supra I), quomodo factum esset, iis difficile explicatu non videbatur, velut *duxim* < **duxi-sim*, *iussit* < **iussi-sit*, cet. *i* vocali sublata explanabant, ita in ceteris verbis alii aliter explicare studuerunt.

Ac formas quidem *rapsit*, *noxit* e perfectis obsoletis **rapsi*, **noxi*, quæ ad perfecta usitata *rapui*, *nocui* ita essent ut perfectum verbi *parcendi parsi* ad *parcui*, omnes ortas esse credunt. Iam *axim*, *taxis*, cet. (supra III a) et b)) CURTIUS, cui assentitur SCHLEICHER, perfectorum reduplicatorum esse censet, quæ, quum terminationes *so*, *sim* adiectæ essent, reduplicationem abiecerint (*faxo*, *capsim* < **fefac-so*, **cecap-sim*). Quam sententiam refellens CORSSEN et has formas et *ulso*, *ausim* perfectorum obsoletorum in *-si* desinentium, velut **faxi*, **capsi*, **ausi*, esse contendit; idem formas *empsim*, cet. (supra III c))

---

1) Est lectio emendata, quæ non satis comprobata est, cfr. SCHOELL: leg. XII tab. VIII, 2. p. 141.

2) Vide SCHOELL: Leg. XII tab. 88.

3) Cfr. STOLZ: Lat. Gramm.² p. 374.

4) Temp. und Modi: 341 sqq.

5) Compendium p. 830.

6) Aussprache II² p. 560 sqq.

_ī_ perfecti sublato ortas esse dicit, ut _empsim_ < _*émī-sim_, _comessis_ < _*comédī-sis_.

Videmus igitur, quantas in difficultates delapsi sint, qui has formas syncopatas esse probare voluerunt. Nam complura perfecta in _-si_ exeuntia, quæ apud neminem scriptorem latinum sunt, fingere sunt coacti. Iam vero formæ illæ longiores _*duxisim_, _*faxiso_, cet. nihil aliud fieri potuerunt nisi _duxerim_, _*faxero_, cfr. _viderim_, _videro_ < _*veides-_[1]).

Quæ rationes quamquam ad illam sententiam refutandam per se valent, tamen hoc certissimum afferre velim, cur formas illas breviores e formis longioribus ortas esse non credamus, quod hæ illis vi atque usu dissimillimæ sunt; quod, si, quomodo usurpentur, inquisiverimus, mox videbimus.

Qua de re optime disseruit[2]) Edward Lübbert in libro, qui inscribitur Grammatische Studien I. Der Coni. Perfecti und das Fut. exact. im älteren Latein. Breslau 1867. Qui quod omnibus exemplis perspectis de vi usuque harum formarum invenit, paucis hic commemorabimus[3]).

Primæ futuri exacti personæ[4]) forma illa brevior idem atque forma longior significabat; usurpatur igitur _duxo_ eadem vi atque _duxero_; ceterarum autem personarum formæ breviores neque in enuntiatis primariis neque vere temporalibus usurpantur, sed tantummodo in enuntiatis subiunctis, ubi et de re futura agatur et e condi-

---

1) Stolz: Lat. Gramm.^{2} p. 297 sq. Brugmann: Grundriss I. p. 427 sq

2) Cfr. præterea Cramer: De perfecti coniunctivi usu potentiali apud priscos scriptores latinos. Dissert. Marburgi 1886.

3) Quæ hic dicentur transferenda quoque sunt ad eas formas, quas infra (pag. 16 sqq.) tractaturus sum.

4) Quod Madvig contendit (De formarum quarundarum verbi Latini natura et usu. Opuscula altera. Hauniæ 1842), has formas a principio futuri primi fuisse, postea vim futuri exacti accepisse, id iam G. Hermann refutavit (Ind. Lect. Lips. hib. 1843).

tione quadam quidquid enuntiatur pendeat, velut in enuntiatis conditionalibus, relativis, quæ eadem infinita sint, aliquando post *uti* (*»såsom»*), *ubi*, *ast*.

Perfecti coniunctivi formæ breviores, quæ semper ad tempus futurum spectant, usurpantur

a) in enuntiatis optativis, in quibus PLAUTUS eas formis longioribus adeo præfert, ut formæ longiores nisi quattuor apud eum non inveniantur (*abierit*, *perierint*, *perieris*, *delicuerit*);

b) in enuntiatis, quibus quid vetetur;

c) in sententiis, quibus quid potentialiter vel dubitative enuntietur;

d) in enuntiatis, quæ præeuntibus *oro*, *metuo*, *opus est*, aliis eius generis verbis ab *ut*, *ne* incipiant;

e) in enuntiatis quibusdam vere subiunctis; huius autem formarum breviorum usus exempla admodum pauca sunt.

In quibus omnibus enuntiatis formæ quoque longiores inveniuntur etiam apud scriptores antiquissimos, velut PLAUTUM. Sin autem perfectum coniunctivi rem præterito tempore actam significat, formas longiores adeo ceteris præfert PLAUTUS, ut, quamvis ducenta quindecim exempla sint perfecti coniunctivi vim præteriti temporis usurpantis, formæ breviores, quæ in quinque et sexaginta horum locorum usurpari potuerint, nusquam tamen inveniantur. Dici igitur possunt *ne feceris*, *non negaverim* pro *ne faxis*, *non negassim*, numquam autem **nescio an faxit* pro *nescio an fecerit* [1]).

Hæc fere sunt, quæ LÜBBERT de vi usuque harum formarum indagatus est, quæ quin vera essent, nemini

1) Formas *r* littera insignes et præteriti et futuri vim complecti iam A. GELLII æquales animadvertisse intelligi potest ex eius narratione, quæ exstat Noct. Att. XVIII, 2 § 14. Posteriore ætate eandem rem tractarunt G. H. URSINUS (Institutio linguæ Lat. p. 587), MARIUS CORRADUS (De lingua Lat. lib. III), G. I. VOSSIUS (De analogia III, 13 sqq.), PERIZONIUS (ad Sanctii Minerv. cap. XIII not. 6), alii.

dubium est visum nisi CORSSENIO[1]); quæ vero ab eo contra allata sunt, ea nuperrime LÜBBERT refellit[2]).

Quod si illæ formæ numquam in enuntiatis ad præteritum tempus spectantibus usurpantur, eo sententiam eorum, qui eas ad stirpem perfecti temporis pertinere putant, prorsus refutari intelligimus Sin quæ de usu earum supra dicta sunt, cum usu coniunctivi opet tativi aoristi linguæ græcæ comparaverimus, formas latinas et græcas plane idem significare apparebit; velut *si faxit, te in caveam dabo* (PLAUT. Capt. 124) = *ἐὰν ποιήσῃς, si quisquam aliuta faxit, ipsos Iovi sacer esto* (PAUULS p. 6 e legibus Numæ Pomp. captum) = *ἐάν τις ἐναντίον ποιήσῃ*[3]), *ne faxis* = *μὴ ποιήσῃ*[4]), al.

Quo consensu utriusque linguæ sententia, quam de his formis exposuit BRUGMANN[5]), cui omnes deinceps scriptores[6]) assensi sunt, quam maxime commendatur. Qui quidem contendit *faxo*, *capso*, cet. coniunctivos, *faxim*, *duxim*, cet. optativos aoristi per *-s-* formati esse, ut illa formis græcis *δείξω*, *φυλάξω*, cet. respondeant, hæc, quæ a principio in *-iem* desierint (cfr. *εἰδείην* < **ϝειδεσ-ιην*), terminationem *-im* ad similitudinem primæ pluralis personæ, quæ in *-īmus* exiret, acceperint (cfr. *sim* < *siem* = gr. *εἴην* < **ἐσιην* : *sīmus*).

Reliquum est, ut quæramus, quid causæ fuerit, cur formæ breviores, velut *duxim*, *faxis*, aliud atque formæ *r* littera insignes, ut *duxerim*, *feceris*, significarent, i. e. cur illæ formæ cum perfecto non coniungerentur, sed vim principalem retinerent.

1) Aussprache II² not. p. 566—571.
2) Archiv f. lat. Lex. II. p. 224—227.
3) LÜBBERT: Gramm. Stud. I. p. 80 sqq.
4) LÜBBERT: ib. p. 30 sqq.
5) Morph. Unters. III. p. 33 sqq.
6) Cfr. STOLZ: Verbalflexion 30 sqq Lat. Gramm.² p. 374. MAHLOW: K. Z. XXVI. 568. JOHANNES SCHMIDT: K. Z. XXVII. 327. OSTHOFF: Perfektum p. 219.

Quam quidem vim cur verba, quæ perfecta in _-si_ non fingerent (vide supra pag. 9, 10: II—V), servaverint, perfacile est intellectu, utpote quorum perfectis nihil cum aoristis commune fuerit; itaque quum essent perf. _egi_, _feci_, aor. ind. *_axm̥_, *_faxm̥_, coni. _axo_, _faxo_, optat. _axim_, _faxim_, nihil erat, cur hoc tempus cum illo confunderetur; indicativus vero aoristi postea, quum plane eandem vim ac perfectum haberet, aut obsolevit aut vim plusquamperfecti temporis usurpavit (vide infra). Quorum ad similitudinem formæ ceterorum verborum, quorum perfecta in _-si_ exirent (supra pag. 9: I), principalem aoristi vim servasse mihi videntur, quum formæ per _-er-_ fictæ perfecto adiungerentur. Itaque quum essent *_deicsim_, *_deicserim_ et *_facsim_, *_veiderim_, *_deicsim_ vim genuinam propter analogiam formarum _faxim_, cet. servavit, *_deicserim_ autem vim perfecti accepit similitudinem formæ *_veiderim_ sequens, in quo verbo perfectum et aoristus omnino confusa essent.

C. **Perfectum infinitivi et plusquamperfectum coniunctivi.**

I. Perfectum infinitivi: _dixe_, _spexe_, _duxe_, _intellexe_, _scripse_, _surrexe_, _traxe_, _vexe_, _sumpse_, _misse_, _comesse_, _cesse_, _evasse_, _divisse_, _iusse_.

II. Plusquamperf. coniunctivi: _dixem_, _stinxem_, _intellexes_, _affixet_, _vixet_, _fluxet_, _traxet_, _erepsemus_, _missem_, _cessem_, _scisset_;
faxem, _percepset_.

Has quoque formas[1]) per syncopam ortas esse CORSSEN[2]) statuit, velut _dixe_ < *_dīc-sī-se_, _scripse_ < *_scrip-_

1) Collegerunt NEUE: Formenlehre II² p. 536 sqq. KÜHNER: Ausf. Gramm. I. p. 510. CORSSEN: Aussprache II² p. 557. WESTFAL: Verbalflexion 267.

2) Aussprache II² p. 561 sq.

_sī-se_, _dixem_ < _*dīc-sī-ssem_, _faxem_ < _*fac-sī-ssem_ (_-ssem_ = _essem_). Contra quam explicandi rationem quum eadem afferri possunt, quæ supra pag. 11 contra sententiam eiusdem formas _dixo_, _faxim_, cet. syncopatas esse putantis animadverti, pluribus eam hic refutare opus mihi esse non censeo.

Quod si syncopatæ non sunt hæ formæ, quomodo eas ortas esse existimemus? BRUGMANN[1]) quidem secundum rationem, quæ et inter formas perfecti indicativi in _-isti_, _-istis_ et _-sti_, _-stis_ exeuntes, ut _dixisti_, _dixistis_ : _dixti_, _dixtis_, et inter infinitivos perfecti in _-visse_ et _-sse_ fictos, velut _amavisse_ : _amasse_, intercederet, ad infinitivos in _-isse_ desinentes hos perfecti infinitivos novatos esse censet; quos principales antiquosque esse ideo credere se non posse ait, quod nisi a verbis, quorum perfecta in _-si_ desinant, non formentur. Quod ut quodammodo mirum esse non est infitiandum, ita infinitivos eorum verborum, quorum perfecta et aoristi nihil commune haberent, velut _*faxe_, _*capse_, quod eandem ac perfecti infinitivi vim usurparent, obsolevisse mihi quidem admodum veri simile videtur. Idem plusquamperfecta illa coniunctivi idcirco novata esse censet, ut ad formas in _-issem_ desinentes itidem essent, sicut verbi causa _dixti_, _dixtis_, _dixo_ ad _dixisti_, _dixistis_, _dixero_.

Qua in explicatione nescio an BRUGMANN analogiæ nimium tribuerit, quod ipse postea vidisse videtur, qui quidem nuperrime[2]) formas illas infinitivi antiquos aoristi infinitivos esse, ut _dixe_ < _*dīc-se_, _scripse_ < _*scrīp-se_, cfr. scrt. _dṛṣí_[3]), mea quidem sententia optime disputaverit.

1) Morph. Unters: III. 44, 42.

2) Grundriss II. p. 460 not 1. Cfr. STOLZ: Lat. Gramm.² p. 380.

3) BOPP (Vergl. Gramm. III. 275 sq.) et STRUVE (Lat. dekl. und conj. p. 178) primi _dixe_ aoristi infinitivum esse dixerunt. At quod illi contenderunt formas illas latinas plane eodem modo ac formas græcas _δεῖξαι_, _γράψαι_, cet. figuratas esse, ut verum sit, fieri non potest, nam _-ai_ in _i_ longum mutari solet (OSTHOFF: Perfektum 193 sqq. BRUGMANN: Grundriss I. p. 93, II. 604 not. STOLZ: Lat. Gramm.² § 13, 1; 27; 30.

Qui utrum de formis plusquamperfecti coniunctivi idem atque antea nunc sentiat an de his quoque sententiam mutaverit, nescio; mihi veri videtur simillima ea sententia, quam de his explicandis protulit STOLZ[1]), qui eas antiquos aoristi indicativos esse contendit, velut *dixem* < **dīc-sm̥*, *missem* < **mīt-sm̥*, qui vim plusquamperfecti coniunctivi postea acceperint[2]).

Quod vero hæ formæ cum perfecto coniunctæ sunt, aliæ aoristi formæ, ut *dīcerem* < **deic-es-m̥*, vim imperfecti usurpaverunt, mirandum non est; nam illæ, quæ per *-s-* formantur, cum perfecto, hæ cum tempore præsenti optime congruunt.

II. Formæ syncopatæ, quæ vocantur, verborum, quorum stirpes in vocales exeunt.

A. Perfectum coniunctivi et futurum exactum.

Eius modi formæ[3]) e duabus et quinquaginta stirpibus finguntur, quæ in *-ā* exeunt, velut *amasso* : *amāre*, *acclarasso* : *acclarāre*, *negassim* : *negāre*, e duabis in *-ē* cadentibus : *habēre* et *licēre*, velut *habessit*, *licessit;* ceterarum stirpium in vocales desinentium formæ syncopatæ nisi *ambissit*, *ambissint* verbi *ambiendi* nullæ inveniuntur.

Sunt præterea aliquæ formæ, quæ quin novatæ sint, postquam illæ futuri exacti indicativi formæ ortæ essent, dubitari non potest. In hoc genere numerandæ sunt formæ passivæ, quæ exstant duæ : *turbassitur* (CICERO: de Leg. III. 4, 11) et *mercassitur* (Lex. agrar. a. 643), et novem

1) Verbalflexion 13 sqq. Lat. Gramm.[2] p. 374.

2) Verbalflexion 36 sqq.

3) Collegerunt locosque adscripserunt NEUE: Formenlehre II[2] 540 sqq., KÜHNER: Ausf. Gramm. I. p. 511 sq., WESTFAL: Verbalflexion 282 sqq., CORSSEN: Aussprache II.[2] p. 558. sqq.

infinitivi in *-assere* desinentes[1]), velut *averruncassere, impetrassere*[2]).

Antiquissima barum formarum explicatio prolata est a G. I. VOSSIO[3]), cuius sententiæ complures postea linguarum investigatores accesserunt, velut CURTIUS[4]), SCHLEICHER[5]), LÜBBERT[6]). Censet ille has formas e formis in *-viso, -visim* desinentibus, quas e stirpe perfecti temporis fictas a principio in lingua latina usurpatas esse putat, *i* sublato et *v* et *s* litteris per assimilationem, quæ dicitur, in *-ss-* mutatis ortas esse, velut *amasso* < **amāviso*, *habessit* < **habēvisit*, *ambissit* < **ambīvisit*.

Quam explicandi rationem nullo pacto probari posse iam CORSSEN[7]) intellexit; neque vero probare illud cuiquam, opinor, potest, quod ipse de his formis commentus est, linguam latinam *s*, quod post syllabam acutam esset, in *ss* auxisse, quo *-vi-* suffixum perfecti, quod in his formis (**amāviso*, **negāvisim*, cet.) sicut in *coirarunt* < **coiraverunt* excidisse credit, compensaret in memoriamque revocaret; quam sententiam ea re fulcire vult, quod *-s-* et *-ss-* inter vocales posita in vetustiore lingua latina, si post vocalem longam sequerentur, promiscue usurpata sint. Quod possitne quisquam ei concedere, dubito; nam quæ eius rei afferuntur exempla, tantummodo *-ss-* originaria in *-s-* mutari probant, *-s-* principalis in *-ss-* conversi nullum est exemplum[8]). Iam vero quod *-s-* in memoriam *-vi-* syllabæ eiectæ in *-ss-* auctum esse ait, hæc sententia ad

---

1) De his conferas J. V. LINDGREN: De verbis in *-sso* cadentibus. Upsaliæ 1890. p. 23 sq.

2) De *-ss-* post vocalem longam in his omnibus verbis servatis vide infra pag. 37 not.

3) De analogia III. 15.

4) Temp. und Modi p. 338 sq.

5) Compendium² p. 829—830.

6) Gramm. Stud. I. p. 4 sqq.

7) Aussprache² I. 319, II. 563 sq.

8) Cfr STOLZ: Lat. Gramm.² p. 298 sq. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.² p. 56.

præcepta rationis, qua linguarum investigatores in legibus sonorum constituendis utuntur, adeo nihil mihi accomodata esse videtur, ut pluribus eam refutare mihi opus esse non putem.

Atque illud quidem inter omnes nunc satis constat has formas per syncopam ortas non esse; formæ enim quæ sunt **amāviso*, **habēvisim*, **ambīvisit*, nihil aliud nisi *amavero*, **habeverim*, *ambiverit* fieri potuerunt[1]. Quamobrem aliam eas explicandi viam linguarum investigatores nunc ingressi eas cum formis *duxim*, *faxo*, ceteris, de quibus supra (pag. 9 sqq.) egimus, quibus et forma et vi[2]) simillimæ sint, conferunt formasque aoristi esse censent. Quod ut prorsus certum esse satis constat, ita *-s-* geminum ad explicandum difficillimum est; quæ *-ss-* quomodo orta sint, summa est virorum doctissimorum dissensio.

Ac BRUGMANN[3]) quidem, qui eas cum formis celticis temporis præteriti per *-s-* formati, ut *ro charus*, quod e stirpe **carâss-* ductum esse putat[4]), contulit[5]), originem *-s-* gemini eruere se non posse ipse l. l. concedit.

Eam autem indagare conatus est STOLZ[6]), qui contendit, principales aoristi formas, velut **amāso*, **negāsim*, **habēsim*, formis per *-ss-* fictis cessisse, quæ quod cum infinitivis melius congruerent, novatæ essent. Infinitivos enim in *-assere* exeuntes (vide supra pag. 17) antiquos aoristi infinitivos esse censet, qui a principio in *-s-se* desierint, velut **amasse*, **averruncasse*, post vero ad si-

1) Vide STOLZ: Lat. Gramm.² p. 297 sq. BRUGMANN: Grundriss I. p. 427 sq.

2) Vide supra p. 11. not. 3.

3) Morph. Unters. III. 39 sqq.

4) Formas celticas neque ita ortas esse neque omnino cum his formis latinis comparandas esse nuperrime ZIMMER ostendit (K. Z. XXX. 163 sqq). Cfr. præterea THURNEYSEN: K. Z. XXXI. 102.

5) Idem *habesso* cum verbis *capesso*, *facesso*, cet. ibidem comparat, de quibus nuperrime egit J. V. LINDGREN: de verb. in *sso* cad.

6) Verbalflexion 64 sqq. Lat. Gramm.² p. 374.

militudinem infinitivi præsentis temporis terminationem *-asse-re* acceperint, sicut infinitivus ille vulgaris sermonis *essere* pro *esse.*

Quam sententiam ut veram esse credam, mihi non possum persuadere. Nam quum STOLZ, quomodo geminum illud *-s-* aoristi infinitivi, qui in *-(e)se* exire solet (cfr. *amāre* < *amā-(e)se, *dicere* < *deic-ese, ceteros præsentis temporis infinitivos[1]) explicandum esset, non ostenderit, explicatione eius quæstio summota, non soluta mihi videtur esse. Qui etsi *-ss-* infinitivorum unde repetenda essent, declarasset, haud scio an res ita expedita sit; neque enim credibile est infinitivos cum *amāso, *negāsim, *habēsit, ceteris eius generis formis ita cohæsisse, ut hæ ad illorum similitudinem mutarentur.

Neque vero audiendus est OSTHOFF[2]), qui analogia etiam longius petita usus primum ad similitudinem rationis, quæ inter *dixe, dixem* et *dixo, dixim* intercederet, fictas esse *amāsso, amāssim*, ut formis *amāsse, amāssem* (< *amāvisse, amāvissem)* responderent, deinde ad similitudinem *amāre* : *amāsso, amāssim* = *prohibēre, licēre* : x novatas esse *prohibēsso, licēssim* statuit.

Quæ sententia mihi incredibilior videtur esse, quam ut in ea refellenda laborem consumam[3]). Namque ut ad linguas formandas analogiam, quæ vocatur, plurimum valuisse satis constat, ita in ea ad originem verborum explicandam utenda summam adhibendam esse moderationem apparet; id quod OSTHOFFIUM non fecisse negare non licet.

Equidem facere non possum, quin *-s-* geminum harum linguæ latinæ formarum eodem modo atque *-σσ-*, quæ in aoristo et futuro temporibus antiquissimæ linguæ græcæ

---

1) BRUGMANN: Morph. Unters. III. 42 sqq. Griech. Gramm.[2] p. 116, 175. Grundriss II. p. 388 sq., 392, 459 sq. STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 379 sq.

2) Perfektum 220 sq.

3) Cfr. præterea J. V. LINDGREN: de verb. in *-sso* cad. p. 16 sqq.

occurrant, velut ἤλασσα, ἐδάμασσα, καλέσσαι, καλέσσομαι, ὀλέσσω, ὤμοσσε, ἐτάνυσσα, cet.[1]), explicandum esse arbitrer.

Neque tamen satis liquet, quomodo hoc -σ- geminum ortum esse putemus. Sunt enim de hac re duæ sententiæ maxime inter se discrepantes a doctissimis viris prolatæ, quarum alteram proposuit LESKIEN, alteram BEZZENBERGER.

Ac LESKIEN[2]) quidem, quem secuti sunt BRUGMANN[3]), G. MEYER[4]), alii, illa -σσ-, quæ a principio in verbis, quæ in dentales vel -σ exirent, fuisse constat, velut ζεσ- : ζέσσαι, τελεσ- : τελέσσαι, τελέσσω, δικαδ- : δικάσσαι, ex iis in hæc verba vi analogiæ postea irrepsisse contendit. Cui sententiæ cur fidem abrogemus, multa afferri possunt; habet enim difficultates plurimas, quæ quantæ essent, monuerunt FROEHDE[5]), SOLMSEN[6]).

Eodem fere modo formas latinas explicare nuperrime voluit J. V. LINDGREN[7]), qui arbitratur, »illos per -asso figuratos aoristi coniunctivos, si non semper, at tamen sæpe e verbis, quæ in tempore præsenti per -adi̯o terminabantur, profectos esse. Quare hæc verba cum græc. in -αζω, cum germanicis in -atjan cadentibus æquiparanda» esse censet.

Quam sententiam quamquam commendat et quod exspectandum erat, ut quæ eius modi verbis græcis et germanicis responderent verba in lingua latina essent, et quod hæ formæ latinæ ita cum præteritis oscis, sabel-

1) Collegerunt LESKIEN: Curtii Studien II. 73 sqq. MONRO: Homeric Grammar p. 30 sq.

2) Curtii Studien II. 67 sqq.

3) Morph. Unters. III. 83 sqq. Idem hanc sententiam veram esse pro certo docere nunc non audet (Griech. Gramm.² p. 169).

4) Griech. Gramm.² p. 466.

5) B. B. IX. 115 sqq.

6) K. Z. XXIX. 105 sqq.

7) De verb. in -sso cad. p. 24.

licis, volscis in *-tt-* formatis[1]), velut *prùfatted, daidikàtted, teremnattens*, conferri facillime possunt, tamen veram esse mihi persuadere non possum. Obstat enim ei, quod *-d-* suffixum et in lingua materna indoeuropæa, quæ vocatur, et in lingua latina tam rarum est, ut in verbis admodum paucis inveniatur[2]). Quare mihi illa per dentalem consonantem et *-i̯-* formata verba, quæ in linguis græca et germanica plurima sunt, in his linguis ad pauca exemplaria principalia novata esse videntur, in quibus vis verba novandi in lingua latina non esset.

Alteram *-σ-* gemini explicationem protulit BEZZENBERGER[3]), qui aoristum sanscritum in *-siṣam, -sīs (< *-ssīs), -siṣṭam, -siṣṭām, -siṣma, -siṣṭa* desinentem[4]) comparans aoristum græcum in *-σσα* exeuntem *-ə-* vocali inter *-σ-* et *-σ-* eiecta ortum esse credit, velut *ἐδάμασσα* < **ἐδαμασəσα*.

Cui explicandi rationi quum multa alia repugnant tum quod *-ə-* legibus sonorum linguæ græcæ ita tolli non potest[5]): itaque **ἐδαμασəσα* nihil aliud nisi **ἐδαμάσασα* vel **ἐδαμάσεσα* fieri potuit. Iam vero si lat. *videro, vide-*

---

1) De his vide OSTHOFF: Perfektum 234 sqq. DANIELSSON: Zur altit. Wortf. p. 16 sqq., qui priorum sententias adscripsit, BARTHOLOMÆ: B. B. XII. 80 sqq. Hic ista præterita cum formis latinis *amassem, amasso*, cet. cohærere credit. Sed omnia *-ss-* latina oscis *-tt-* respondere statuit; id quod non satis comprobavit. Nullum enim exemplum *-ss-* latinorum e *-ss-* indoeuropæis ortorum afferre potuit, quæ oscis *-tt-* responderent, nisi *ange. tuzet*, quod idem atque lat. *ingesserint* esse arbitratur; id quod magis dubium esse, quam quo illa lex comprobetur, satis apparet. *-tt-* vero osca ex indoeurop. *-t-* et *-s-* vel dentali consonante orta esse constat (vide K. F. JOHANSSON apud LINDGREN p. 24). Quare has formas latinas, nisi hoc modo explicari possunt, e formis oscis seiungendas esse elucet.

2) Cfr. BRUGMANN: Grundriss II. p. 382 sqq.

3) B. B. III. 159 not. Eum secuti sunt FICK: G. G. A. 1881. 1429. MAHLOW: K. Z. XXVI. 584 sqq. THURNEYSEN: B. B. VIII. 273 sqq. W. SCHULTZE: K. Z. XXIX. 266 sqq., alii.

4) WHITNEY: Ind. Gramm. 911.

5) Cfr. BRUGMANN: Griech. Gramm.² p. 27 sq. Grundriss I. p. 101 sqq.

ram, *viderim* < **veid-əs-* comparaverimus, formas aoristi ita figurati latinas, si a principio **amāsəso*, **habēsəsim* sonuissent, in *-ero*, *-erim* servata *e* vocali exituras fuisse intelligemus.

Neutra igitur sententiarum, quæ ad formas græcas et latinas, quæ *-s-* geminum exhibent, explicandas prolatæ sunt, comprobata mihi videtur esse. Quarum formarum quæ explicandi ratio mihi originem earum investiganti veri visa sit simillima, exponere hic velim, etsi quin etiam huic multa opponi obiicique possint, neququam dubito.

In lingua indoeuropæa, quæ dicitur, stirpes verbales et per *-s-* solum et per *-əs-* formatas fuisse satis constat, quæ ad tempus aoristi significandum adhiberentur, ut ved. *sátsat*, gr. *εἶσ(σ)α* < **ésed-s-m̥*, gr. *ἔδειξα* < **édei̯k-s-m̥*, sanscr. *ávēdiṣam*, gr. *ᾔδεα* < **évei̯d-əs-m̥*[1]). Quæ terminationes quomodocumque ortæ sunt et quidquid a principio significaverunt, ambæ eidem stirpi addi potuisse mihi videntur[2]), quo vis, quæ in *-s-* suffixo inesset, insignior redderetur. Quarum terminationum prout hæc vel illa priorem locum tenuit, ortæ sunt formæ, quæ aut in *-s-əs-* exierunt, velut aoristus ille sanscritus in *-siṣ-* formatus et haud scio an formæ latinæ *dixero*, *dixeram*,

---

1) Cuius differentiæ quid causæ fuerit, non est huius loci exquirere. De hac re conferas BRUGMANN: Griech. Gramm.[2] p. 28 not. Grundriss I. p. 18, 104 sqq., præcipue K. F. JOHANSSON: De der. verb. p. 92 sqq., 203 sqq., cuius ego sententiam, quam mihi ingeniosissime eruisse tuitusque esse videretur, in his formis tractandis maxime sum secutus.

2) Ut suffixa, quæ dicuntur, ita bis ponantur, sæpissime in omnibus linguis fit, velut in nostra lingua *landsens fader*, *dagsens sanning*, in vulgari sermone *hanses*, quin etiam *hanseses* pro *hans*, in lingua latina verba illa frequentativa, quæ vocantur, ut *ventitare*, *dictitare*: *ventare*, *dictare*, cet. (KÜHNER: Ausf. Gramm. I. p. 643 sq.), in lingua græca *βοσκέσκοντο* (HOM.): *βόσκω*, cet. Conferas præterea BRUGMANN: Morph. Unters. III. p. 67 sq., qui plurima huius modi suffixi geminationis exempla affert.

dixerim, aliæ (vide infra), aut in *-əs-s-*. quo suffixo formas illas latinas et græcas[1]) fictas esse arbitror, velut *ἐδάμασσα* < **ἐδαμ-əσσ-α*, *καλέσσαι* < **καλ-əσσ-αι*, *amasso* < **amā-(ə)ss-ō*, *prohibessim* < **prohibē-(ə)ss-im*, cet. De *am-*

---

1) Nescio an eodem modo explicanda sint futura et aoristi verborum purorum, quæ vocantur, linguæ græcæ, velut *τιμάσω*, *ἐτίμᾱσα*, *φιλήσω*, *ἐφίλησα*, *λύσω*, *ἔλυσα*, cet. In quibus formis cur *-σ-* littera inter vocales posita, quæ legibus sonorum linguæ græcæ tolli debuit, servata sit, ratio probabilis est afferenda. Quod *-σ-* ad similitudinem verborum, quorum stirpes in consonantes exirent, velut *δείξω*, *ἔδειξα*, *γράψω*, *ἔγραψα*, retentum esse contenderunt CURTIUS (Verb. II². 302), OSTHOFF (Vb. i. d. Nc. p. 325 sqq. Morph. Unters. II. 38 sqq.), quorum sententia BRUGMANNO (Griech. Gramm.² p. 62, 167, 170), G. MEYERO (Griech. Gramm.² p. 223, 465), aliis probata est.

Qua explicandi ratione nescio an analogiæ iusto plus tribuerint. An vero coniunctionem consensumque, quæ inter has formas, ut quæ idem tempus significarent, interessent, Græcos ita sensisse censemus, ut illas ad harum similitudinem mutarent, quum nullo alio vinculo coniunctæ inter se essent?

Sin autem hos aoristos et futura (quod tempus a coniunctivo aoristi repetendum esse mihi est persuasum, cfr. BRUGMANN: Griech. Gramm.² § 140 Anm., 163. K. F. JOHANSSON: De der. verb. 203 sqq.) per suffixum illud *-əss-* formata esse finxerimus, perfacile erit intellectu, cur *-σ-* illud simplex inter vocales servatum sit. Nam hæ formæ si a principio **τιμάσσω*, **ἐτίμᾱσσα*, **φιλήσσω*. **ἐφίλησσα*, **λῡσσω*, **ἔλῡσσα* sonabant, secundum leges sonorum linguæ græcæ in *τιμάσω*, *ἐτίμᾱσα*, cet. mutarentur necesse erat; duo enim *-σ-* antiqua inter vocales posita posteriore ætate in *-σ-* simplex abiisse constat (vide BRUGMANN: Griech. Gramm.² § 45, 3. Grundriss I. p. 420). At apud HOMERUM, qui *-σσ-* inter vocales servare solet, velut *ζέσσεν*, al., in his verbis *-σσ-* nusquam invenitur. Sed duæ ad hanc rem explicandam patent viæ; nam aut *-σσ-*, quæ post vocalem longam sequerentur, iam ante HOMERI tempora correpta esse cogitari potest, sicut *-σσ-* post consonantem posita alterum *σ* iam tum amisisse constat (cfr. BRUGMANN l. l.), aut in his quoque verbis HOMERI temporibus *duo σ* pronuntiata esse sumi licet, scilicet *uno σ* scripta, ut tum mos scribendi erat; quod scriptores librarii posterioris temporis non recte intelligentes in his verbis, quæ ipsi *τιμάσω*, *ἐτίμᾱσα*, *φιλήσω*, cet. pronuntiarent, unum *σ* scribebant, in verbis vero, quæ vocalem brevem ante illud *Σ* habebant, ut *ΖΕΣΕΝ*, quum vocalis aliter longa pronuntiari non posset, *Σ* simplex duobus *σ* transscribentes commutabant.

bissit et *ambissint* una cum ceteris eiusdem generis verbi *eundi* formis infra agemus.

A proposito nostro non alienum esse videtur hic quasi prætereuntes alias quasdam linguæ latinæ formas inspicere, quæ per eandem suffixi geminationem fictæ esse videntur.

Atque ut a formis *vidissem*, *vidisse* exordiamur, nonne, quomodo eæ ortæ sint, ita facillime intelligetur, si eas suffixo *-əss-* stirpi addito figuratas esse finxerimus? Nam quod de iis disseruit BRUGMANN[1]) mihi non ita valde placet. Contendit ille secundum rationem, quæ inter *ero*, *siem* et *videro*, **videriem* esset, ad similitudinem formarum *esse*, *essem* ficta esse *vidisse*, *vidissem*. Quid? formas *vidisse*, *vidissem* ecquid cum formis *esse*, *essem* commune habuisse veri est simile? Quas formas ne minima quidem inter se societate coniunctas fuisse et per se veri simillimum est et ex hoc intelligi potest, quod illæ formæ cum stirpe perfecti, hæ cum stirpe præsentis temporis coniunctæ sunt. Iam vero si inter *vidisse*, *vidissem* et *esse*, *essem* tanta fuisset societas, quanta vult BRUGMANN, exspectandum sane fuit, ut formæ **videsse*, **videssem* — ita enim has formas hoc posito et concesso a principio sonuisse necesse esse apparet — vocalem principalem *-e-*, quæ in syllaba pænultima esset, servassent, præsertim quum *-e-* vocalis, sive ex *-e-* sive ex *-ə-* orta est, in syllaba, quæ in consonantem exit, servata esse soleret[2]). Quod *-e-* cur in *-i-* mutatum esset, BRUGMANN nullam usquam, quod quidem sciam, rationem reddidit; neque id ullo modo explicari posse credo, si *vidisse*, *vidissem* ad similitudinem formarum *esse*, *essem* ficta esse censemus. Sin formæ *vidisse*, *vidissem* nihil ad *esse*, *essem* pertinere, sed e **vid-əss-m̥*, **vid-əss-e* orta esse finxerimus, difficile mihi futurum esse non videtur ad explicandum, cur illud

1) Morph. Unters. III. 35 sqq. 54 sqq.

2) Cfr. *obsessus*, alia exempla: BRUGMANN: Grundriss I. p. 53, 103, 92. STOLZ: Lat. Gramm.² p. 267 sq.

-ə- in *-i-*, non in *-e-* abierit. Erant enim complures formæ, quæ tempus perfectum significabant, quarum similitudinem, ut quæ *-i-* in hac syllaba antea haberent, in vocali mutanda sequerentur, velut formæ perfecti indicativi *vidi, vidit, vidimus*[1]), fortasse perfectum coniunctivi, plusquamperfectum indicativi, futurum exactum, quæ a principio **vidisiem* < **veid-əs-iem*, **vidisam* < **veid-əs-m̥*, *vidiso* < **veid-əs-o* sonuisse constat.

Venio nunc ad formas, quæ per suffixum *-s-əs-* fictæ mihi videntur. In hoc genere sunt plusquamperfecta indicativi, perfecta coniunctivi, futura exacta verborum, quorum perfecta indicativi in *-si* exeunt, velut *dixeram, dixerim, dixero* < **deic-s-əs-*, *miseram, miserim, misero* < **mīt-s-əs-*. Quas formas cur antiquas et e lingua materna indoeuropæa, quæ vocatur, velut hereditate acceptas credere non possit, BRUGMANN[2]) duas affert causas: alteram, quod tales formæ in linguis osca et umbrica nullæ sint; quamquam idem hoc irritum facere mihi videtur, quum addit: »*so weit die überlieferung einen schluss erlaubt*«; nam ex harum linguarum litteris non restant nisi divulsæ quædam, quasi ex naufragio, particulæ et eæ quidem perexiguæ, ex quo perspicuum est, nihil obstare, quominus eius modi formas in his linguis usurpatas fuisse sumamus, etsi in reliquiis earum vestigia non exstant; alteram, quæ tantum ad perfecta coniunctivi pertinet, quod, quum formæ *dixim, faxim*, cet. perfecti vim non usurparent, formæ in *-erim* desinentes vim perfecti plane adsciverint; cuius rei quid causæ esse putaremus, supra

---

1) ***vidisti, vidistis*** utrum in hunc numerum referenda sint an ipsa *-i-* vocalem pænultimæ syllabæ vi analogiæ acceperint, in eo vertitur, quomodo ea orta esse sumamus (vide supra pag. 9). Quæ si terminationibus perfecti ***-ti, -tis*** aoristo ****veid-əs-*** additis ficta sunt, *-ə-* syllabæ pænultimæ ad similitudinem formarum ***vidi, vidit, vidimus*** in *-i-* mutatum esse apparet; sin pro formis originariis ****visti, *vistis*** syllaba ***-di-*** e formis ***vidi, vidit, vidimus*** capta novata sunt, tum analogiam formis ****vid-əss-e, *vid-əss-m̥*** ipsa præstitisse elucet.

2) Morph. Unters. III. 73.

(pag. 13 sq.) disputavimus. Ostendisse igitur mihi videor nihil impedire, quominus has formas et antiquas et e lingua indoeuropæa, quæ dicitur, oriundas esse censeamus. Quod si crediderimus, conferendæ nobis erunt hæ formæ latinæ cum aoristis sanscritis *áyâsiṣam*, *gâsiṣat*, cet., cum futuro græco dorico, quod vocatur, si id ita explicandum est[1]), velut *πραξέω* < **πραx-σəσ-ω*, fortasse cum formis *γράψεια*, *γράψειας*, *γράψειε* < **graph-səs-* [2]). Infitiandum autem non est hunc consensum, quamvis sententiæ nostræ fidem augeat, ad eam probandam non valere, quum illæ formæ in unaquaque lingua separatim exstitisse possint. Quod si ita est, tamen formas latinas, de quibus hic agimus, neque ad similitudinem formarum *videro*, *viderim* e *dixo*, *dixim* fictas esse[3]), neque contaminatis formis *dixo* et *legero*, ut BRUGMANN nuperrime contendit[4]), ortas esse crediderim, sed contaminatis aoristis **deic-s-* et **deic-əs-*, quorum utrumque olim fuisse constat (**deic-s-* : *dixi*, *dixti*. cet., **deic-əs-* : *dicere*, *dicerem*, cet.).

Reliquum est iam, ut de formis plusquamperfecti coniunctivi et perfecti infinitivi verborum, quorum perfecta in *-si* desinunt, velut *dixissem*, *dixisse* < **deic-s-əss-*, disputemus, quæ quin in lingua latina novatæ sint, dubitari non potest. Ac BRUGMANN quidem, sicut *dixi*, *dixisti*, *dixit*, *dixero*, *dixerim*, cet. ad similitudinem formarum *vidi*, *vidisti*, *vidit*, *videro*, *viderim*, cet. ficta esse censet, ita *dixissem*, *dixisse* ad analogiam formarum *vidissem* et *vidisse* figurata esse arbitratur[5]). Eodem modo STOLZ[6]) *dixissem* ortum esse existimat; idem *dixisse* secundum

---

1) Vide K. F. JOHANSSON: De der. verb. 209, aliter OSTHOFF: Vb. i. d. Nc. 333 sqq., BRUGMANN: Griech. Gramm.² p. 170.

2) K. F. JOHANSSON: ibid.

3) Morph. Unters. III. 64.

4) Abhandl. d. k. sächs. Ges. d. Wiss. X. p. 59. Cfr. STOLZ: Lat. Gramm.² p. 374.

5) Morph. Unters. III. p. 56.

6) Lat. Gramm.² p. 374.

rationem, quæ inter *dixem* et *dixe* esset, novatum ad *dixissem* postea esse censet.

Quæ explicandi ratio quamquam probari omnino non posse contendere non audeo, tamen facere non possum, quin dubitem, quin verbum *videndi* ad declinationem verbi temporalis latini formandam tantum valuerit, quantum illi contendant, et quin hoc verbum ad originem omnium verbi latini formarum explicandam sufficiat. Num audaciæ et temeritatis est existimandum, si quis sumpserit fuisse aliquando aliquod certe ex his quoque verbis, quod aoristum in *-əss-* fingeret, qui aoristis græcis et latinis per *-əss-* formatis, de quibus supra disputavimus, responderet, velut **deic-əss-m̥*, **deic-əss-o*, **deic-əss-iem*, **deic-əss-e*, cet. Quod si probari possit, formæ *dixissem*, *dixisse* ceteræque eiusdem generis confusis ac contaminatis **deics-* (*dixem*, *dixo*, *dixim*, *dixe*) et **deic-əss-* (**dicəssem*, **dicəsso*, **dicəssim*, **dicəsse*) ortæ esse mihi videntur.

Apparet hanc meam sententiam a sententia Brugmanni non nimis longe abhorrere, quum uterque nostrum has formas per contaminationem quandam ortas esse arbitretur, nisi quod ego ad verbum *videndi* in his formis explicandis non semper confugiendum esse crediderim, illi autem, sicuti tragici poetæ, quum explicare argumenti exitum non possunt, ad deum confugiunt, sic hoc verbum ad omnes fere verbi latini formas explicandas adhibent.

B. Ceteræ formæ, quæ per syncopam ortæ esse vulgo existimantur.

Est præterea, ut ad extremum illud veniamus, maximus formarum usitatissimarum numerus, quas per syncopam ortas esse viri doctissimi censuerunt. Contenderunt enim omnes adhuc, quod quidem sciam, linguarum investigatores formas, quæ essent *amāsti*, *amāro*, *amā-*

rim, *amāsse*, cet., e formis longioribus *amavisti*, *amavero*, *amaverim*, *amavisse*, cet. per syncopam aliquo modo fictas esse. Eius modi formæ[1]) inveniuntur in iis personis temporum perfecti, plusquamperfecti, futuri exacti, quarum terminationes a *-ss-*, *-st-*, *-r-* incipiunt; formantur e verbis, quorum perfecta in *-āvi*, *-ēvi*, *-ōvi*, *-ūvi*, *-īvi* exeunt.

Atque e verbis, quæ perfecta in *-āvi*, *-ēvi* desinentia fingunt, sæpissime verba I[æ] et II[æ] coniugationum eius modi formas usurpant, velut *appellasti*, *appellastis*, *certarunt*, *optaram*, *amasse*, *putarim*, *rogaro*, *parasset*, al., *delesti*, *delestis*, *flerunt*, *complerat*, *delero*, *flesset*, al.; præterea e *sterno*, *strāvi* : *strasset*, *constrarunt*, *prostrasse*, e *sperno*, *sprēvi* et *cerno*, *crēvi* : *sprerunt*, *crerint*, *decrerunt*, *decresset*, al., e *quiesco*, *quiēvi*, *cresco*, *crēvi*, *suesco*, *suēvi* : *quierim*, *cresse*, *suesti*, *suerint*, *suesse*, al., ex *obsero*. *obsēvi* : *obsesse* finguntur.

Neque e verbis, quæ perfecta per *-ōvi* formant, formæ syncopatæ, quæ vocantur, non sunt; finguntur enim e verbis *movendi (moveo* : *mōvi)* et *noscendi (nosco* : *nōvi)* formæ *morunt*, *mosse*, *norunt*, *noram*, *nosse*, al.

Verbi autem *iuvandi (iuvo*, *iūvi)* nullæ formæ syncopatæ afferri possunt nisi *iuerint*, *adiūro* vel *adiuero*, *adiūrit* vel *adiuerit*, quæ omnes apud poetas vetustiores inveniuntur.

Verborum denique, quæ perfecta per *-īvi* formant, sive ad IV[am] sive ad III[am] coniugationem declinantur, formæ syncopatæ usitatissimæ sunt, velut *audisti*, *audistis*, *cupisti*, *scissem*, *scisse*, al.; *lacessissem* : *lacesso*, *lacessīvi*; *petisse* : *peto*, *petīvi*; *tristi* : *tero*, *trīvi*; *siris* : *sino*, *sīvi*, al. In quibus verbis si *-v-* littera extrusa duo *i* concurrunt, in unum contrahuntur (vide exempla supra allata); formæ,

---

1) Locis, in quibus sunt, ex parte laudatis eas collegerunt KÜHNER: Ausf. Gramm. I. 501 sqq. WESTFAL: Verbalflexion 268 sqq. NEUE: Formenlehre II² p. 510—535.

in quibus *-i-* et *-i-* contracta non sunt, nisi e verbis *petendi* et *eundi* fictæ non inveniuntur, velut *abiisti*, *abiisse*, *præteriissent*, *oppetiisse*, *petiisset*, al.; sed in his quoque verbis formæ contractæ multo sæpius usurpantur[1]. Sin concurrunt *-i-* et *-e-*, velut in *audierunt*, *iero*, *custodierit*, *ierim*, *quæsieram* aliisque verbis, utraque vocalis semper integra retinetur, exceptis unis formis verbi *sinendi*, in quibus *-i-* et *-e-* contrahi solent, velut *siris*, *sirit*, *siritis*, *sirint*[2].

Neque vero eæ personæ, quarum terminationes a *-s-* vel *-r-* non incipiant (I^æ et III^æ singularis, I^æ pluralis personæ perfecti indicativi) formarum syncopatarum prorsus expertes sunt. E perfectis quidem in *-āvi*, *-ēvi*, *-ōvi* desinentibus rarissime, e perfecto *iūvi* numquam finguntur, ac nisi apud poetas non sunt, velut *pugnāt* = *pugnavit*, *enarrāmus*, *consuēmus*, *nōmus*, cet.[3], sed a perfectis verborum *petendi*, *eundi*, *sinendi* sæpissime usurpantur, velut *ii*, *appetii*, *iit*, *adiimus*[4], atque etiam ambobus *i* contractis, ut *abi*, *peti*, *desi*, *abit*, *petit*, *desit*, *subimus*, cet.[5]; in ceteris vero verbis, quæ perfectum in *-īvi* formant, nisi apud scriptores posteriores eius modi formæ non inveniuntur.

Sed in his omnibus formis *-v-* sæpissime retinetur[6], auctorque est CICERO inter formas *-v-* servantes et extrudentes prorsus nihil discriminis interfuisse, quum dicit (Orat. 47, 157): »Quid, quod sic loqui, *nosse*, *iudicasse* vetant, *novisse* iubent et *iudicavisse?* quasi vero nesciamus in hoc genere et plenum verbum recte dici et imminutum usitate. Itaque utrumque Terentius

---

1) Cfr. KÜHNER: Ausf. Gramm. I. p. 502. Anm. 1.
2) Cfr. KÜHNER: l. l. p. 504. NEUE: Formenlehre II² p. 519.
3) Cfr NEUE: l. l. p. 534. KÜHNER: l. l. p. 507. Anm. 8.
4) NEUE: l. l. p. 519 sqq. KÜHNER: l. l. p. 504 sq.
5) KÜHNER: l. l. p. 506.
6) NEUE: l. l. p. 527 sqq., 535, 525 sqq. KÜHNER: l. l. p. 502 sqq.

Eho, tu cognatum tuum non noras?

Post idem

Stilphonem, inquam, noveras?»

Atque etiam QUINTILIANUS idem significare videtur, qui dicit (Inst. Orat. IX. 4, 58 sq.): »Sed figuris mutare casus atque numeros, quorum varietas frequenter gratia compositionis ascita, etiam suo nomine solet esse iucundum. Etiam ubi aliud ratio aliud consuetudo poscet: utrum volet, sumat compositio, *vitavisse* vel *vitasse*, *deprendere* vel *deprehendere*». Neque vero idem inscriptiones non probant, velut in lege Acilia repetundarum[1]) scripta sunt *iurarit*, *negarint*, *pronuntiarit*, sed *abdicaverit*, *æstumaverit*, *existumaverit*, *postulaverit*; — *audierit*, *quæsierat*, sed *conquæsiverit*, *noverit*, *petiverit*; item in alia inscriptione (C. I. L. I. p. 601 c. 3) e verbis I^{ae} coniugationis duodeviginti formæ *-v-* extrudentes, quindecim *-v-* servantes fictæ sunt, præterea *poseit*, *posit*, *posierunt*, *deposierunt*, *petiei*, *petierit*, *quæsierit*, *audierit*, sed *poseivei*, *composeiverunt*, *petiverit*, *conquæsiverit*, *conquæsivei*, *audiveramus*, e verbo *eundi* autem tantum formæ syncopatæ: *obeit*, *redeit*, *pereit*, *peristi*, *peristis*, *interieisti*, *adierit*, *adierint*.

Quæ quum ita sint, quod omnes scriptores formas illas *-v-* carentes e formis per *-v-* fictis ortas esse crediderunt, ne mireris. Quod quomodo factum sit, tres patent ad explicandum viæ, si aut *-vi-* vel *-ve-* syllabam extrusam[2]) aut *-e-* vocalem sublatam[3]) (*amārim* < **amāu̯rim*

1) SCHNEIDER: Dial. ital. ævi vestust. ex. sel. I. p. 29 sqq.

2) NEUE: Formenlehre II² 527 sqq. KÜHNER: Ausf. Gramm. I. p. 84 Anm., aliter p. 501 (vide infra!)

3) STOLZ: Lat. Gramm.² p. 322. OSTHOFF utrum hanc an illam sententiam amplectatur, e verbis eius (Perfektum p. 220) intelligere non possum. Qui ut verba NEUII (Formenlehre II² 527, vide supra not. 1), quippe quæ nulla vituperatione adiecta referat, probare videtur, sic e contrario has formas vocali brevi extrusa ortas esse credere videtur, quum de formis *putāsti*, *putāstis*, *putāssem*, *putāsse*, *complēsti*, *nōsti*, similibus eodem modo iudicandum esse contendit atque de *dixti*, *dixtis*,

< *amāverim)* aut *-v-* (= *u̯)* inter vocales positum eiectum esse [1]) *(amārim < *amāerim < *amāu̯erim < amāverim)* censemus.

Ac prima quidem sententia iam eo refutatur, quod totæ syllabæ in lingua latina non tolluntur, nisi quum duæ syllabæ finitimæ ab eadem consonante incipiunt, velut *debilitare* < * *debilita-tare, nutrix* < *nutri-trix,* cet. [2]).

Deinceps videndum est, num secunda illa sententia probari possit. At si illæ formæ *-e-* vocali sublata ortæ essent, medias quasdas formas fuisse inter antiquas et novas tamquam interiectas, quales sunt **ámāu̯sti*, **ámāu̯sse*, **ámāu̯rim*, **fléu̯runt*, **complēu̯sse*, cet., sumendum esse apparet. Cui sententiæ obstat, quod eius modi formæ in **amūsti*, **amūsse*, **amūrim* [3]), **flūrunt*, **complūsse* [4]), cet. abierint necesse est.

Reliquum est, ut quæramus, possintne hæ formæ *-v-* extruso et vocalibus contractis fictæ esse; quæ sententia verane sit, totum in illo vertitur, num probari possit lex, quam defenderunt CORSSEN [5]), STOLZ [6]), SCHWEIZER-

---

dixem, dixe (p. 220), quas vocali brevi sublata fictas esse ipse antea disputavit (p. 218), et quum formas *putāram, putārit, complēram, nōrit* cum **dīxram *dīxrit, *mīsram, *mīsrit* (< *-*ser*-), quas aliquando fuisse arbitratur, formam *putārunt* < **putāvĕrunt* cum **dedrunt* (= pisaurens. *dedrot*) < **dedĕrunt* comparat.

Quomodo BRUGMANN, qui *amāro, amārim* per syncopam ex *amāvero, amāverim* ortas esse censet (Morph. Unters. III. 39), hoc factum esse putet, e verbis eius non elucet.

1) KÜHNER: Ausf. Gramm. I. p. 501. CORSSEN: Aussprache[2] I. 317 sqq., II. 684, 706 sqq. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] p. 139 sq.

2) Cfr. FICK: K. Z. XXII. 98. WÖLFFLIN: Sitzungsber. d. bayr. Ak. d. W. 1872. 444 not. BRUGMANN: Grundriss I. p. 484. STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 314 sq. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] § 46.

3) Cfr. *inclūdo* < **inclāu̯do* ceteraque exempla, quæ affert SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] p. 25.

4) BRUGMANN: Grundriss I. p. 464. STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 279.

5) Aussprache I.[2] p. 316 sqq.

6) Lat. Gramm.[2] p. 262.

SIDLER[1]), alii, qui *-v-* inter vocales positum in lingua latina tolli arbitrantur.

Qua lege non omnia saltem verba adstricta fuisse argumento est, quod sunt plurima verba, in quibus *-v-* inter vocales positum non eiectum, sed aut incolume servatum est aut alio modo tractatum, velut *brūma* < **brév(i)ma*[2]), *nuntius* <**nóv(e)ntius*, *nundinæ* <**nóv(e)ndinæ*, quæ *-v-* sublato explicari non posse apparet, *Orcvios* : *Orcevios*, *Iulus* < **Ióv(i)lus*, cfr. osc. *iovila* (BÜCHELER: Rh. M. XLIII. 135), *prūdens* < **próv(i)dens*, *mōmen* < **móv(i)men*, *ūdus* < **ŭv(i)dus*, *nūdus* < **nŏ(g)u̯(e)dos*, *claudo* < **cláv(i)do*, *auceps* < **áv(i)-*, *cautum* : *cavitum* (C.I.L. I. 200, VI. p. 79), *cavitionem* (PAUL. Festi 61, 3), *faustus* < **fáv(e)sto-*, *opilio* < **óv(i)pilio*, *Benventod* (C.I.L. I. 19), alia[3]).

Hæc omnia verba aliaque permulta, quæ afferri poterant, si diligentius consideraverimus, facile apparebit, ea non *-v-* extruso formata esse, sed vocali, quæ post primam syllabam, quam antiquitus acutam fuisse satis constat[4]), sequeretur, e legibus linguæ latinæ[5]) præterita.

Quam ob rem quoniam plurima verba huic legi repugnare ostendentes fidem eius non nihil imminuimus, nunc nonne exempla, quibus eam tueri conati propugnatores eius sunt[6]), alio modo explicari possint, videamus.

---

1) Gramm.² p. 66.

2) STOLZ: Lat. Gramm.² p. 353. Aliter (= zend. *mrūra*) BARTHOLOMÆ B. B. XV. 36.

3) Nescio an in hoc numero referenda sint perfecta quædam in *-ui*, quod ex **ĕvi*, **ŏvi*, ortum esse constat (OSTHOFF: Perfektum 279. STOLZ: Lat. Gramm.² p. 371), desinentia, velut *genui* < **génĕvi*, *domui* < **dómŏvi* < **dómăvi*. Nam si illa lex vera esset, hæc verba in **genei*, **domai* eodem modo atque *amāverim* in *amārim* mutari debuisse mihi videntur.

4) Vide supra pag. 4.

5) BRUGMANN: Grundriss I. p. 475, 550. STOLZ: Lat. Gramm.² p. 321. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.² § 45 sq. W. MEYER: Z. f. rom. Phil. VIII. 209.

6) Afferunt ea CORSSEN: Aussprache I.² 316 sqq. STOLZ: Lat. Gramm.² p. 262. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.² p. 66.

Ac formæ quidem *Iuentia*, *fluio*, *Nuembris* (Corssen l. l.) vix hic afferendæ videntur; in quibus *-u-* litteram, quamvis *-v-* non exscriberetur, *-uu̯-* pronuntiatam esse veri est simillimum[1]), velut in *duo* (sanscr. *duvā*, umbr. *tuva*), *duonoro* (sanscr. *dúvas-*), *suis*, *suinus*, *mutuos*, cet. Eodem modo explicanda sunt *Noembris*, *noicia*, cet. (Corssen l. l.), *cloaca*, cet.[2]). Ac facillime sententiæ Fehrnborgii assentior, qui dicit (p. 31), e scriptura *Novios* C.I.L. I. 54 : *noicia* ib. I. 819, *Iuventius* ib. I. 602 : *Iuentia* ib. I. 885, cet. nihil aliud effici, quam ut *-v-* inter vocales sonum quendam tenuiorem atque instabilem habuerit, qua re factum esse, ut *-v-* interdum exscriberetur, interdum non; nisi quod ei addendum esse existimo *-v-* illum sonum habuisse, quum *-u-* vel *-o-* proxime aut antecederet aut sequeretur; id quod omnibus exemplis, quæ Fehrnborg affert, confirmatur.

Iam complura exempla ea re explanantur, quod *-u̯o-* in *-u-* mutatur[3]); ita orta sunt *vius* C.I.L. I. 1223, *Flaus* ib. I. 277, *æum* ib. I. 1220, *Gnæus* (: *Gnaivod* C.I.L. I. 30), *boum*, *Graii*, *Gaius*[4]), *deus*, cet. Formæ autem usitatiores per *-v-* fictæ ad eorum casuum similitudinem novatæ sunt, in quibus *-v-* littera, quum alia atque *-u-*

---

1) Brugmann: Grundriss I. p. 151, 152 sq. Stolz: Lat. Gramm.^{2} p. 261.

2) De hac re cfr. præterea Fehrnborg: De verb. lat. in *uo* div. desin. p. 8 sqq. 29 sqq.

Cum hac re comparandum mihi videtur, quod *-ŏu̯-* in syllaba non acuta in *-ŭ-* abiit *(ŏu̯ > ŭu̯ > ŭ)*, velut *vidua* < **vídou̯a*, cfr. sanscr. *vidháva*, *vacuus* < **váceu̯os*, *fluere* < **-flou̯ere*, cet. (Osthoff: Morph. Unters. IV: 80, 125 sq., 158. Perfektum 259. Brugmann: Grundriss I. p. 153 II. 128. Stolz: Lat. Gramm.^{2} p. 262). in quibus verbis illud *-u̯-* omnino sublatum ideo esse puto, quod syllaba, in qua erat, non acuebatur.

3) Brugmann: Grundriss I. p. 153 sq. Bersu: Die Gutturalen p. 53 sqq. Thurneysen K. Z. XXVIII. 155 sq. Stolz: Lat. Gramm.^{2} p. 262, aliter Froehde: B. B. XIV. 87 sqq.

4) De hoc verbo vide Thurneysen: K. Z. XXVIII. 155.

vocalis sequeretur, legibus linguæ convenienter servaretur. Itaque _Flavus_, _vivus_, _divus_, _ævum_, cet. ad similitudinem genitivorum _Flavi_, _vivi_, _divi_, _ævi_, cet. formata sunt. Eadem inter _dinai_ (Lex Spolet.) et _divinus_ est ratio, quorum illud e stirpe nominativi _(dius < *diu̯us)_, hoc e stirpe genitivi _(divi)_ figuratum est. Similiter explicari possunt _ætas_, _æternus_ e nominativo _æum_ < _*æu̯um_.

Atque etiam _horsum_, _quorsum_, _prorsus_, _introrsus_, _retrorsum_, _dextrorsum_ ad leges sonorum [1]) ficta mihi videntur esse, velut _horsum_ < _*hṓ-u̯orsum_, _prorsus_ < _*prṓ-u̯orsus_ [2]), cet., ad quorum similitudinem ficta postea sunt _seorsum_ et _deorsum_ [3]), sicut ad _rursum_ < _*réu̯orsum_ novatum est _sursum_ [4]). Similiter explicanda est ratio, quæ inter _coventionid_ C.I.L. I. 196 et _contione_ < _*cóu̯(e)ntione_ intercedit.

Iam vero _præco_, _præs_ (: _prævides_ C.I.L. I. 200: 46. 47. 100) e formis principalibus _*prái̯u̯eco_, _*prái̯u̯as_ orta mihi ita esse videntur, ut, quum vocalis, quæ erat in syllaba syllabam acutam sequenti, sublata esset [5]), _*prái̯u̯co_, _*prai̯u̯s_ abiecto -_u̯_-, quod inter -_i̯_- et consonantem erat, in _*praico_, _*prais_ > _præco_, _præs_ abirent.

Restant aliquot verba singula, quorum aliud aliter ortum est, ad quæ, quod eius facere possumus, explicanda nunc transeamus.

---

1) STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 275. BRUGMANN: Grundriss I. p. 76, 153. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] p. 22, præcipue KRETSCHMER: K. Z. XXXI. 451 sqq., qui -_ōu̯_-, -_ēu̯_- in -_ō_-, -_ŏu̯_-, -_ĕu̯_- in -_ū_- mutari probavit.

2) SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] p. 22.

3) Eadem verba -_u̯o_- in -_o_- mutato explicari possunt sicut _Gnæus_ < _Gnaivos_, cfr THURNEYSEN: K. Z. XXVIII. 155.

4) Cfr. STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 293 not. 2.

5) STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 321. Idem (p. 319) _Næpor_ ita (< _*Nǽv(i)pover_) explicat, itidem (p. 321) _ætas_, _æternus_ < _*ǽv(i)tas_, _*ǽv(i)ternus_, quamquam harum quidem formarum explicatio supra allata magis mihi placet.

mālo nescio an HAVETIUM[1]) secuti e **másu̯(o)lo* ortum optime explicemus. Quod STOLZ contra affert[2]), *-su̯-* in *-rv-* abire debuisse, verumne sit, dubitari potest[3]); quod etiamsi exploratum esset, *-su̯-* in *-rv-* mutari, tamen sumi poterat, *-u̯-* inter consonantes positum sublatum ante esse, quam *-su̯-* in *-rv-* mutaretur[4]). Iam vero forma originaria si **măgu̯olo*, **măgu̯elo* fuisset[5]), in **maulo* mihi abire debuisse videtur, similiter atque **nŏgu̯edos* in **nou̯dos* > *nūdos* mutatum est. *mālo* igitur e **măsu̯(o)lo* ortum esse putamus; de *-ā-* conferas *dīvello* < **dĭsvello*, *dīvergo* < **dĭsvergo* al.

nōlo e **nĕu̯(o)lo*[6]), non e **néu̯olo*[7]), quod **nūlo* evasisset[8]), ortum est.

sīs = *si vis* STOLZIUM[9]) secutus e **s(i̯)u̯is* originem duxisse puto.

Quæ inter *lavatrina* et *lātrina*, inter stirpem *oblīv-* et *oblīscier*, *oblītus* intercedat ratio, difficilius est constituere. Cum illis tamen comparari fortasse possunt *Mars* : *Mavors*, cfr. *Maurte* C.I.L. I. 63, *Asculum* : *Ausculum*, *Agustus* : *Augustus*, *āgurium* : *augurium*, cet.[10]); hæc ex

---

1) Mem. d. l. S. d. l. IV: 85.

2) Lat. Gramm.[2] p. 363 not. 9.

3) Cfr. FROEHDE: B. B. XVI. 212.

4) De *-u̯-* inter consonantes abiecto cfr. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] p. 66; cfr. præterea, quomodo *su̯-* in initio verborum mutetur (STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 304. BRUGMANN: Grundriss I. p. 152).

5) STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 276, 363.

6) De forma *nē* cfr. P. PERSSON: Stud. etym. p. 2. STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 280. FEIST: Grundriss der got. Etymol. p. 84, 85.

7) STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 363.

8) KRETSCHMER: K. Z. XXXI. p. 451 sqq. (vide supra pag. 34. not. 1.).

9) Lat. Gramm.[2] p. 261; itidem SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] p. 66. 9. 5).

10) Cfr. CORSSEN: Aussprache I.[2] 663 sqq., LÖWE: Prodromus 421, SEELMANN: Aussprache 223, SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.[2] p. 19, STOLZ: Lat. Gramm.[2] p. 272.

**(ob)līu̯(i)scor, *(ob)līu̯(i)tus* explicari posse videntur, si *-u̯-* ita positum sublatum esse probari potest[1]).

Reliquum est, ut aliquot verba, quæ PLAUTUS correpta pronuntiavit, ut *ovis, navem, caveto, cavillator, divites, Iovem*, cet.[2]) explicemus; in quibus *-v-* sublato vocales per synizesin, quæ vocatur, coniunctas esse KÜHNER (l. l.) docet. At vero hæc equidem verba haud secus explicanda censeo atque ea, de quibus supra disputavi; itaque *ov's, nav'm, cav'to, cav'llator, div'tes, Iov'm*, cet. hæc verba pronuntiata esse credo[3]).

His igitur expositis satis nobis docuisse videmur, omnia fere exempla, quibus probari solet *-v-* inter vocales ciectum esse aliter explicanda esse; quod quoniam esse plurima verba, quæ *-v-* litteram inter vocales incolumem præstarent, supra (pag. 32) ostendimus, declarasse nobis videmur hanc legem, si non prorsus falsam — id quod nobis quidem veri videtur simillimum — at tamen incer-

1) Cfr. *vita* < **vigu̯ita*, *trītum* < **trivitum*: THURNEYSEN: K. Z. XXX. 352. FROHDE: B. B. XVI. 183. Hæc tamen verba aliter explicanda esse videntur: *vita* e radice $g_2\breve{\bar{\imath}}$- (DANIELSSON: Gramm. Anm. I. p. 16. P. PERSSON: Zur Lehre von der Wurzelerweiterung und Wurzelvariation. Ups. Univ. Årsskr. 1890—1891, p. 136) cfr. sanscr. *ji-, jinóti, jīrá-*, zend. *ji-, jîti-*, got. *keinan*, lit. *gýti*, ant. l. bulg. *žiti*, *trītum* e radice *trī-* (vide infra).

2) Vide RITSCHL: Proleg. ad Plaut. Tom. I: p. CLI sq. KÜHNER: Ausf. Gramm. I. p. 95 Anm. 3. CORSSEN: Aussprache² I. 317, II. 766.

3) Conferas etiam, quod dicit J. L. USSING (T. MACCII PLAUTI Comoediæ I. p. 214): "Nec quod multi statuerunt, *nouo, noui, nouis*, etc. pro monosyllabis fuisse credo, sed iambici vocabuli alteram correptam esse, nec perfectorum primæ coniugationis tertiam personam singularis eandem formam habere posse atque præsentium, ut *vocat* pro *vocavit*, Men. 1136, nam hoc quidem præsens est, nec minus cetera, quæ afferuntur, vid. SPENGEL. p. 97 sq." (T. MACCIUS PLAUTUS, Kritik, Prosodie, Metrik, 1865) "nec earum vocum prosodiam, quas affert RITSCH. Prol. Trin. p. CLI, *iuuentutem, nauem, boues, ouis, Iouem, breui, auonculus, caueto, cauillatio*, tali modo explicari posse arbitror. nedum cum CHRISTIO (Metrik p. 27 sq.) etiam liquida intercedente synezesin admittam."

tiorem esse, quam ut ad illas formas explicandas adhibenda sit.

At ne si comprobata quidem esset, ad originem illarum formarum eruendam eam suffecturam esse puto. Nam si in exempla, quæ pro ea afferuntur, diligentius inspexerimus, in omnibus _-v-_ in syllaba syllabam subsequenti, quæ secundum leges linguæ latinæ antiquissimæ acuebatur, sublatum esse, ut KÜHNERI, cet. verbis utamur, videbimus; ex quo perspicuum est his exemplis _-v-_ in iis formis, de quibus hic agitur, sublatum esse haudquaquam probari, quarum plurimæ _-v-_ in syllaba, quæ a syllaba acuta erat tertia, haberent, velut _ámāverim_, _cértāverunt_, _cómplēveram_, _délevero_, _áudīvisti_, cet.

Satis mihi multa verba fecisse videor, quare origo illarum formarum e stirpe perfecti per _-vi_ formati temporis non esset repetenda; restat, ut, quomodo ortæ sint, indagare ipse coner.

Ac nobis quidem dubium non est, quin formæ illæ ex aoristis[1]) ortæ sint, idque ita, ut eas formas, in quibus _-ve-_ vel _-vi-_ syllaba ante _r_ vel _s_ sublata esse dicatur, ex aoristis per _-s-_ vel _-əs-_ formatis manavisse, formas autem, in quibus syllaba a _-ve-_, _-vi-_ eiectis proxima a _ss_ incipiat, ex aoristis per _-əss-_ fictis[2]) ductas esse arbitremur. Ita facillime explicantur _amasti_ < _*amā-s-ti_, _amaram_ < _*amā-s-m̥_ (aor. ind.), _amaro_ < _*amā-s-ō_ (aor. coni.), _amarim_ < _*amā-s-iem_ (aor. opt.), _delesti_ < _*delē-s-ti_, _delero_ < _*delē-s-ō_, _amassem_ < _*amā-(ə)ss-m̥_ (aor. ind.)[3]),

---

1) Exceptis formis verbi _iuvandi_, quæ similiter atque formæ _Iuentia_, _fluio_, cet. (vide supra pag. 33) explicandæ esse videntur.

2) De eius modi aoristis vide supra pag. 22 sqq.

3) Coniunctivi et optativi aoristorum eius generis sunt _amasso_, _acclarasso_, _prohibesso_, _negassim_, _licessit_, cet., de quibus supra (pag. 16 sqq.) egimus.

Requiretur fortasse nunc, cur _ss_ post vocalem longam posita in his formis in unum _s_ mutata non sint, sicut in verbis _hæsi_, _quāsillus_, cet. (CORSSEN: Aussprache I^{2}. 282 sqq., BRUGMANN: Grundriss I. p. 369 sq., 431. SCHWEIZER-SIDLER: Gramm.^{2} p. 56. STOLZ: Lat. Gramm.^{2}

amasse < _*amā(ə)ss-e_ (aor. inf.), _flessem_ < _*flē-(ə)ss-m̥_, ceteræ formæ verborum, quorum præsentia in _-ao_, _-eo_[1]) exeunt. Formas autem _pugnat_, _enarramus_, _consuemus_, _nomus_, cet. (vide supra pag. 29) vi analogiæ novatas esse veri est simillimum; quamquam formæ Iª pluralis personæ aoristi quoque esse possunt, velut _enarrāmus_ < _*enarrā-s-mus_, _nōmus_ < _*nō-s-mus_, cet.[2]).

Paulo difficiliores explicatu sunt formæ e stirpibus fictæ, quarum perfecta in _-īvi_ desinunt. Possunt enim et ex aoristis formatæ esse, velut _audisti_ < _*audī-s-ti_, _iisti_ < _*ei̯-əs-ti_, _ieram_ < _*ei̯-əs-m̥_, _iero_ < _*ei̯-əs-ō_, _ierim_ < _*ei̯-əs-_

---

p. 298 sq.). Qua re _ss_ e consonante dentali et _s_ orta esse (cfr. pag. 20 sq.) nequaquam significari ex eo intelligi potest, quod _ss_ ita orta eodem modo corripiuntur, velut _misi_ < _*mīt-si_, _suasi_ < _*suād-si_, cet. (Brugmann: l. l. p. 369. Stolz: l. l. p. 298 sq., 306). Nec vero audiendus est Froehde, qui censet (B. B. XVI. 184), si verba eius recte interpretatus sum, _amāsse_, _delēsse_, _audīsse_, _nōsse_, cet. _ss_ ideo integra tuita esse, quod per contractionem, quæ vocatur, orta essent. Quibus verbis quid dictum velit, non plane intelligo; nisi _*amāisse_, _*delēisse_, cet., in quibus verbis vocalis brevis præcedens _ss_ tuebatur, in _amāsse_, _delēsse_, cet. tum demum abiisse credit, quum _ss_ post vocalem longam posita in _s_ mutari iam desiissent. At hanc ipsam legem Ciceronis temporibus ratam fuisse constat (conferas Quintilianum: Instit. Orat. I. 7: 20: "Quid? quod Ciceronis temporibus paulumque infra, fere quotiens _s_ littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, geminabatur, ut _caussæ_, _cassus_, _divissiones?_ quomodo et ipsum et Vergilium quoque scripsisse manus eorum docent;" vide præterea Marium Victorinum apud Keil: Gr. L. VI. p. 8), quare _amāsse_, _delēsse_, cet., quæ multo ante fuisse satis constat, etiamsi per contractionem ficta essent, in _*amāse_, _*delēse_, cet. mutari debuerunt. Iam vero ad formas _amasso_, _negassim_, _prohibesso_, cet. explanandas, quæ ut per contractionem ortæ sint, fieri nullo pacto potest (vide supra pag. 17 sq.), hæc explicandi ratio non valet. Immo vero hæc _ss_ servata esse mihi quidem videntur et propter similitudinem earum formarum, quæ vocalem brevem ante _ss_ haberent, velut _dixīsse_, _vidīsse_, cet., et fortasse quod Romani _amasse_, _amassem_, cet. ex _amavisse_, _amavissem_, cet. orta esse putabant (vide infra).

1) Cfr. Stolz: Lat. Gramm.^{2} p. 366 sq.

2) Ita Stolz: Verbalflexion 29 sqq. Lat. Gramm.^{2} p. 375. Anm. 3.

iem, cfr. gr. *ᾔειν*, *ᾔεα*[1]), *scisse* < **scī-(ə)ss-e*, cet., et ex antiquis perfectis, velut *ii* < **īi̯ái̯*, *scii*, *sii*, cet.[2]), explicari. Ex his repetendæ certe sunt formæ *ii*, *iit*, *adiimus*, *abi*, *desi*, *abit*, *subimus*, cet. (vide supra pag. 29), fortasse etiam *scisse* < **sciisse*, *issem* < *iissem*, *ambissit*, *ambissint*, *iisti* < *ii-sti*, cet. In ambiguo igitur sæpe relinquendum est, utro ex tempore singulæ formæ sint repetendæ; utrumque autem tempus ad declinationem horum verborum fingendam plus minus contulisse apparet.

Iam multo faciliores explicatu sunt formæ verborum, quorum præsentia in *-sco* et *-no* desinunt; illa enim e radicibus in vocalem longam exeuntibus declinata sunt, velut *cresco* : **crē-*, *quiesco* : **quiē-*, *nosco* : **(g)nō-*[3]); ita fit, ut formæ *quierim* < **quiē-s-iem*, *cresse* < **crē-(ə)ss-e*, *nostis* < **nō-s-tis*, *noram* < **nō-s-m̥*, cet. eodem modo atque formæ *delesti*, *delesse*, cet. explicandæ sint; quarum ad similitudinem novatæ sunt e verbo *suescendi* (: **su̯edh-*) formæ *suesti*, *suerint*; hæc autem (*sterno*, *cerno*, *sperno*) suffixo *-no*[4]) adiecto e radicibus **ster-*, **cer-*, **sper-* ficta sunt, quarum radicum formas quoque **strā-*, **crē-*, **sprē-* fuisse satis constat[5]), e quibus eæ formæ, de quibus hic agitur, figuratæ sunt, velut *strassem* < **strā-(ə)ss-m̥*, *decrerim* < **-crē-s-iem*, *spreruntt* < **sprē-s-n̥t*, cet.; itemque

---

1) Cfr. Brugmann: Griech. Gramm.² p. 169. Stolz: Lat. Gramm.² p. 374.

2) Osthoff: Perfektum p. 225 sq., 251 sq., 254, 261.

3) Stolz; Lat. Gramm.² p. 366.

4) G. Meyer: Die mit Nasalen geb. Præs. st. 104 sqq. Froehde: B. B. VI. 182. Stolz: l. l. p. 365.

5) De eius modi radicibus cfr. de Saussure: Mem. p. 239 sqq. Fick: B. B. I. 1 sqq. G. G. A. 1881, 1425 sqq. Paul: P. B. B. VI. 118 n. Hübschmann: Das idg. Vokalsyst. p. 181. K. F. Johansson: De deriv. verb. p. 92 sqq. B. B. XIII. 115 sq., aliter Osthoff: Morph. Unters. IV. præf. et passim, Perfektum p. 365 sqq., alii. Vide præterea P. Persson: Wurzelerw. und Wurzelvar. p. 91 sqq., nuperrime Kretschmer: K. Z. XXXI. 325 sqq Bartholomæ: B. B. XVII. 91 sqq., cfr. P. Persson: l. l. p. 292.

siris, sirit, sirunt, siritis (: sino[1]*)* ex aoristo **sī-s-* formata sunt.

Atque etiam *tristi* < **trī-s-tī*, *trisset* < **trī-(ə)ss-et*, cet. *(: tero)* et *mossem* < **mō-(ə)ss-m̥*, *moram* < **mō-s-m̥*, cet. (: *moveo*) radicum variatione explicanda esse apparet; in illo enim verbo mixtæ sunt radices **ter-* (cfr. gr. *τείρω*, *τερέω*, lat. *tero*, *termentum*) et **trī-*[2]) (cfr. gr. *τρί-β-ω*, lat. *trīvi*, *trītus*, *trībulum*, *detrīmentum*, *trīticum*), has formas e radice **mē-*, **mō-* (cfr. scrt. *ni-mātavya-*, lit. *móju*, ant. l. bulg. *maja*), e qua **meu̯-*, **mou̯-* (cfr. scrt. *kāma-mūta-*, gr. *ἀμεύω*, lat. *moveo*, lit. *maúti*) *-u̯* adiecto ducta sunt[3]), ortas esse elucet[4]).

obsesse < **obsē-(ə)ss-e* autem eo explanatur, quod *sero* e **siso* radice **sē-*, **sō-*, **sə-*[5]) (cfr. gr. *ἵημι* < **si-sē-mi*[6]), lat. *sēmen*, celt. *sīl*, vet. germ. *mana-sēþs*, lit. *sė́ju*) reduplicata ortum est.

Ex iis, quæ breviter exposuimus, satis apparere credo omnes fere has formas antiquas aoristi formas esse posse. Neque tamen hæc ita disputo, ut omnes eius modi formas, quarum maxima vis in omni litterarum latinarum genere invenitur, ex ipsis aoristis antiquis repetendas esse statuam. Immo vero dubitari non potest, quin scriptores latini magnum harum formarum numerum, quo et in poesi et in oratione usi sunt, ad exempla antiquarum

---

1) De hoc verbo cfr. OSTHOFF: Perfektum 611 sq. FROEHDE: B. B. I. 197. XIV. 111. W. SCHULZE: K. Z. XXVIII. p. 266 not. 1. FICK: Vergl. Wörterb.³ I. 789. III. 312 sq. P. PERSSON: l. l. p. 111 not. 5.

2) Cfr. P. PERSSON: l. l. p. 104, 16. DANIELSSON: Gramm. und etym. Studien p. 31.

3) Cfr. P. PERSSON: l. l p. 156.

4) Infitiandum autem non est has formas e radice **mōv-* quoque fictas esse posse, velut *mosse* < **mōv-sse*, *moram* < **mōv-s-m̥*, cet. (vide supra pag. 34. not. 1).

5) BRUGMANN: Grundriss I. p. 257. Griech. Gramm.² p. 46. STOLZ: Lat. Gramm.² p. 264 sq. P. PERSSON: l. l. p. 111 sq.

6) BRUGMANN: Griech. Gramm.² p. 73, 154.

aoristi formarum finxerint; quas quidem formas per syncopam e perfecto tempore ortas esse Romanos ipsos putavisse quum testari videntur CICERO et QUINTILIANUS, quorum verba supra pag. 29 sq. laudavimus, tum vero PRISCIANUS certis verbis confirmat, qui dicit (Commentat. gramm. X. 16 apud KEILIUM: Gr. Lat. II. p. 508): »omnia tamen, quæ præteritum in *vi* terminant adiectam, frequenter invenimus per secundas et tertias personas syncopam pænultimæ pati syllabæ, cum ab *u* loco consonantis incipit, ut *amavi, amavisti* vel *amasti, amavit, amavimus, amavistis* vel *amastis, amaverunt* vel *amarunt; neo, nevi, nevisti* vel *nesti, nevit, nevimus, nevistis* vel *nestis, neverunt* vel *nerunt*. ideo autem addidimus »adiectam», quoniam, si in positione sit *u* consonans, syncopam pati non potest, ut *lavo, lavi, lavisti*, non possumus dicere *lasti*, nec pro *lavistis lastis*, nec pro *laverunt larunt*. similiter *faveo, favi, favisti*, nemo dicit *fasti*, nec pro *solvisti solsti*. sed invenio HORATIUM auctoritate fecisse in quibusdam concisionem, quamvis positio verbi habeat *u* consonantem: *moveo, movi, movisti* ex quo *summosses* posuit HORATIUS pro *summovisses* in I sermonum:

Hunc hominem velles si tradere. dispeream, ni
Summosses omnes. — non isto vivimus illic,
Quo tu rere modo.

item *commorit* pro *commoverit* idem HORATIUS posuit in II sermonum:

Qui me commorit — melius non tangere, clamo —
Flebit.»

Quod vero ROMANI eas formas per syncopam e perfecto tempore ortas esse putabant, mirandum sane non est, quoniam quum perfectum aoristi obsoleti provinciam, ut ita dicam, occupavisse satis constat, tum etiam inter formas perfecti per *-vi* formati et antiquas illas aoristi formas tantam similitudinem, ut *-vi-* syllaba sublata nihil inter se forma distarent, fuisse apparet.

———⁂———